



0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23



112


112

112

112

3 a 8

2




*del Collegio de la Comp<sup>ta</sup> de Jos de gran<sup>ta</sup> B<sup>a</sup>*  
Q. 7833



PETRI  
CAPONSACCHI  
DE PANTANETO  
ARRETINI  
IN IOHANNIS APOSTOLI  
APOCALYPSIM  
OBSERVATIO.

AD SELINVM II. TVRCARVM  
IMPERATOREM.

FLOR. ENTIAE.  
MDLXXII.



i 1186 1003

C A P. I.



POCALYPSIS IESU  
CHRISTI, quam dedit  
illi Deus palam facere fer  
uis suis, quæ oportet fieri  
citò; & significavit mittens  
per Angelum suum seruo  
suo Iohanni, qui testimo  
niū perhibuit verbo Dei,

& testimonium Iesu Christi, quæcunque vidit.  
Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius,  
& seruat ea, quæ in ea scripta sunt; tempus enim  
propè est. Iohannes septem ecclesiis, quæ sunt  
in Asia gratia vobis, & pax ab eo qui est, qui fuit,  
& qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in  
conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo, qui  
est testis fidelis primogenitus mortuorū, & Prin  
ceps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à  
peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos re  
gnum, & sacerdotes Deo, & patri suo, ipsi gloria,  
& imperium in secula seculorum. Amen. Ecce  
venit cum nubibus, & videbit eū omnis oculus,  
& qui eum pupugerunt, & plangent se super eum  
omnes tribus terræ, & Amen. Ego sum, α, & ω,  
principium, & finis dicit Dominus Deus qui est,  
qui erat, & qui venturus est omnipotens, Ego Io-

hannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu, fui in insula quæ appellatur Pathmos propter verbum dei, & testimonium Iesu Christi, fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis. Quod vides scribe in libro, & mitte septē ecclesijs, quæ sunt in Asia, & Epheso, & Smyrne, & Pergmo, & Thyatire, & Sardis, & Philadelphia, & Laodiceæ. Et cōuersus sū, vt viderē vocem, quæ loquebatur mecū. Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorū aureorū similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas Zona aurea, caput autē eius, & capilli erāt candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes auricalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut sol lucet in virtute sua, & cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus, & posuit dexterā suā super me dicens noli timere ego sum primus, & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sū viuens in secula seculorum, & habeo clauēs mortis, & inferni. Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sūt, & quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, &

septem candelabra aurea, septem stellæ Angeli sunt septem ecclesiarum; & candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.

APOCALYPSIS Iesu Christi, quā dedit, &c.

**H**OC est mysterium ante creationem mundi à mente diuina cōceptum in consumatione vniuersi, ob Agni occisi vindictam, quod reuelatum fuit Iohanni per Angelum à Iesu Christo per quatuor animi extases, iuxta quas in quatuor etiam partes diuidetur præsens prophetia. In prima extasi, quæ fuit in Dominica die, apparuit ei Christus per Angelum suum, ea fortitudine indutus, quæ D. O. M. indicare quatuor partes terræ à principio decreuit. Unde in secunda extasi prædicitur excidium Hierusalem, & plagæ etiam omnes, quibus, & ipsa, & Asia, & mundus ipse destruendus est. In tertia interpretatur mysterium Asiæ, cuius iudicium, & mundi tunc factum est. In quarta verò noua, & splendida Hierusalem, in qua electi omnes fulgere debent, elucescit. Tribus itaq; ijs maximis iudicijs absoluedum esse mūdi iudicium, testimonium perhibet nunc Iohannes. Prima itaq; pars bifariam secatur: primò enim totum iudicium filio datum à patre vaticinatur Iohannes. Secūdo pœnitentiæ actio prædicitur septem ecclesijs, quæ sunt in Asia. Primum verò caput primæ partis in duas præcipuè diuiditur partes: primò enim proponitur prophetia enuncianda simul cum modo, quo communicata, & communicanda est. In secunda deinde parte ad confirmationem

firmationem accedit inquitens. Ecce venit cū nubibus, &c. Habet ergo primo Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, quæ oportet fieri cito; & significauit mittens per Angelum suum, seruo suo Iohanni &c. Nobis igitur per Iohannem, cui à Christo per naturam angelicā reuelatum fuit testimonium hoc: sicut Christo, qui est in sinu patris à Deo datum fuit: inter patrem enim, & filium non intercedit reuelans alia natura media. Quapropter verbo Dei testimonium perhibuit Iohannes, & testimonium Iesu Christi, qui est spiritus prophetiæ, quacumq; ipse vidit. Quamobrem beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ipsa scripta sunt: tempus enim propè est propter destructionem Hierosolimæ, quæ Iohanne adhuc superstite, ventura erat. Unde sic eum volo manere, donec veniam; sunt enim quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regnum suum; ut in euangelio habetur. Non transibit ergo generatio ista, &c. sicut ab incendio Hierusalem circa annum Domini LXXIII secuto, optime cōfirmatū fuit. Iohannes septem ecclesijs, quæ sunt in Asia, gratia vobis, & pax; per gratiam enim habetur illa pax, qua homo cum Deo coniunctus fruatur in momento temporis: hanc ergo pacem, quam mundus dare non potest, ecclesijs desiderat Iohannes, primo à Deo, secundo à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt: Tertio verò à Iesu Christo. Quamobrem cum mysterij huius sit principium, & finis Deus ipse: dictum fuit ab eo qui est, qui fuit, & qui venturus est; septem deinde spiritus ante thronum Dei lucen-

tes sunt ij, qui diffusi sunt per vniuersam terram à maiestate Dei procedentes ob iustificationem sanctorum: Iesus verò Christus testis fidelis dei describitur. Primo, ut per eius resurrectionem solum mors victa fuit: vnde primitiæ dormientium dictus fuit Christus à Paulo. Secundo ratione vindictæ, quæ orta est de mundo, ob mortem passam: cū enim ipse sit Rex regum, & Dominus dominantium etiam de omnibus regibus terræ victoriam reportare debet gladio oris sui, & spiritulabiorum suorum, quo interficiet impium. Tertio ab amore, quo nos, & in principio, & in fine amplexus est ob sanguinem iam effusum: vnde tandem regnum, & sacerdotcs Dei facti sumus: cum itaq; Agnus principium, & finis sit nostræ beatitudinis, ipsi ergo æterna gloria, & imperium. Ecce venit cum nubibus, &c. Hæc sunt verba prophetiæ superius propositæ, in qua inueniens tempus propè esse destructionis Hierusalem, inquit ecce venit cum nubibus: vnde, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate; ut in Euangelio dictum fuit. Ecce ergo, ut in Isaiâ habetur validus, & fortis dominus: sicut impetus grandinis turbo confringens; sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terram stariosam, & erumpere faciam spiritum tempestatis in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandes in ira in consumptionem. A fortis enim Romanorū manu, celsa à nube diuinitus erumpent fulmina, ignis, & gladius, & omne genus tormentorum, quo mortales cruciari possunt. Et videbunt hoc etiam illi, qui cum pupugerunt: tempus enim propè est: idcirco plangent super

super se, & filios suos omnes tribus terræ: & quoniã à principio Deus decrevit hoc pacto iudicare mundum ob mortem permissam Agni: nullam enim potentiam aduersum me haberes nisi tibi datum esset desuper. Ideo dixit ego sum, & & ω: nutu enim Dei omnia oriuntur, & occidunt. Idcirco cum deus sit simplex, & vnicus intellectus semetipsum, in quo omnia sunt, solum intelligens, in eo idem est intelligibile, intellectus, & intellectio, ergo idem principium, & finis. Unde Deus est qui fuit, fuit, qui venturus est, venturus est, qui est: Ego sum itaq, qui sum. Ponitur deinde visio, & locus, & tempus, in quo Iohanni reuelatio Christi facta fuit: dicens ego Iohannes frater vester, &c. Refert itaq, reuelationem Christi ab ipso met Iohanne in prima extasi per Angelum inspectam, in qua inspicitur totum mysteriũ, & iudicium Dei. Inquit igitur, conuersus postquam fui, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum, vidi in medio septem candelabrorum aureorum, similem filio hominis, & de ore eius exibat gladius vtraq, parte acutus, oculos etiam tanquã flammam ignis, & pedes auricalco-similes habebat: præcinctum ad mammillas Zona aurea, cuius caput & capilli erant albi tanquã lana munda, & alba: gladio enim, & igne, & falsis prophetis omni fortitudine, & decore indutus Hierusalem primò, deinde totam Asiam, & postremò ipsum mundum consumando iudicare debet. Septem verò stellas, & septem aurea candelabra, septem ecclesias, & septem ipsarũ angelos esse interpretatum fuit Iohanni. Quapropter templum Dei cum simus nos, candelabra septem aurea dictæ sunt septem ecclesiæ, quorum

candelabro-

candelabrorum lux est Deus, cuius lumine flagrantæ animæ nostræ ascendit odor de manibus nostris ante conspectum omnipotentis Dei: vnde quæ est ista quæ, vt fumus ascendit, inquit Salomon de sapientia: Cum verò diuinum animæ nostræ lumen de foris accedat: idcirco septem aurea candelabra distinguuntur à septem stellis, qui septem spiritus sunt missi in vniuersam terram, qui correspondent septem lapidibus ante thronũ Dei lucentibus: quamobrem. Si fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum. Unde in medio candelabrorum aureorum, quæ sunt orationes sanctorum, vidit Iohannes similem filio hominis: cui cũ placuerit contrarium habere; vt fortasse eius virtus magis nobis elucesceret; ideò pedes non aurei; sed ex auro sophistico, & falso ei tributi fuerunt, ceu in camino ardenti, in quo falsi prophete truciandi sunt: nam ego dominus, & non est alter formã lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc, vt dictum fuit in Isaia. ob hanc ergo mundi victoriã candidi tanquã mix ei tributi fuerunt capilli.

## CAP. II.

ET Angelo Ephesi ecclesiæ scribe. Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, & non

B sunt

sunt, & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti propter nomen meum; sed habeo aduersum te pauca, quod caritatem tuam primam reliquisti: Memor esto itaq; vnde excideris: & age poenitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo nisi poenitentiam egeris; sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi, qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesiis: vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei, & Angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe. Hæc dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus, & uiuit, scio tribulationem tuam, & pauper tatem tuam, sed diues es; & blasphemaris ab his, qui se dicunt iudeos esse, & non sunt; sed sunt synagoga satanæ. Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Qui vicerit non lædetur à morte secunda. Et Angelo pergami ecclesiæ scribe. Hæc dicit qui habet rhompheam ex vtraque parte acutam, Scio vbi habitas, & vbi sedes est Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antiphas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos vbi Sathanas habitat.

tat. Sed habeo aduersus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel edere, & fornicari. Ita habes, & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter poenitentiam age, si quo minus veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Et Angelo Thiatyre ecclesiæ scribe. Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes auricalco. Noui opera tua, & fidem, & caritatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Hiezabel, quæ sedicit prophetem docere, & seducere seruos meos fornicari, & manducare de Idolotyris, & dedi illi tempus, vt poenitentiam ageret, & non vult poenitere à fornicatione sua. Ecce ego mittam eam in lectum, & qui me cantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi poenitentiam ab operibus suis egerint, & filios eius interficiam in mortem, & scient omnes ecclesiæ; quia ego sum scrutans renes, & corda, & dabo vnicuiq; vestrum secundum opera vestra. Vobis autem dico, & cæteris qui Thiatyre estis, quicumque non habent doctrinam

hanc, & qui non cognouerunt altitudinem Sathanae, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus; tamen id quod habetis tenete donec venia. Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur; sicut, & ego accepi a patre meo, & dabo illi stellam matutinam, qui habet autem audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

Et Angelo Ephesi ecclesiae scribe, &c.

**Q**UAMVIS sapientia ab eterno ordinata esset, & ex antiquis antequam terra fieret; possedit enim illam Dominus in initio viarum suarum antequam quicquam fieret a principio: tamen delicia eius fuerunt esse se cum filijs hominum: is enim filius regni, non autem alius corporibus potentia apprehendi eam vel non apprehendendi largita solum fuit: idcirco Moyses inquit elige vitam, ut vivas: unde intellectus cum non utatur instrumento corporeo, insensus ad intelligendum, coniunctus corpori; quo magis intelligit primam substantiam, eo magis a supremo intelligibili perficitur: eo vero magis intelligit, quo vehementiori amore illam prosequitur: apperienti ergo sunt libri, & secundum gradum, & opera amoris complectendus deinde erit unusquisque in sinu patris. Quamobrem cum per septem stellas, & per septem aurea candelabra, ecclesias septem intelligendum essetiam dictum sit, nunc simul angelos.

hanc

s B

& ecclesias accipiendo illis iussu filij Dei poenitentiae actio significatur: ut lex domini in cordibus eorum super scribi, & amoris fructum facere valeat; cum vero amore, & ope Dei habeatur illa gratia, qua cum divina pace coniungi solum valemus; ideo depræcata fuit septem ecclesijs ab eo, qui est, & fuit, & erit, & a septem spiritibus, & a Iesu Christo, a quo cum per septem spiritus diuisa fuerit angelica gratia, in dextera eius septem visæ sunt stellæ, septem angelis correspondentes. Quapropter præmium, & poena consona bonis, & malis vnusquisque operibus proponitur a sole ipso iustitiae, qui omnia vndique lustrando, reddit vnique quod suum est. Unde ecclesiae Angelo cuiuslibet immago Christi obuiam occurrit illis signis iustis cap. i. quibus puniendi erunt omnes illi, qui poenitentiam non egerint. Quapropter de primo angelo ecclesiae loquens significatur ei, ut poenitentiam agat, cum suam primam caritatem reliquerit: secundo vero ecclesiae angelo, ut constans sit vsque ad mortem accipiendam. Tertio, ut non habeat illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat committere scandalum coram filijs Israel edere, & fornicari: quarto ecclesiae Angelo significatur etiam, ut non permittat amplius seduci seruos suos a falsis prophetis, & manducare de Idolatris; & fornicari: unde quatuor præmia, & flagella etiam conuenientia, si egerint, vel non egerint ecclesiae poenitentiam, proponuntur: Flagellum, quod minatur primæ ecclesiae est remouere candelabrum de loco suo, quod inter prima flagella ponitur, cum sit flagellum præcipue animæ: præmium vero contrarium poenitentiae prænnunciata est dare edere de ligno vitæ a Deo hominibus



nibus à principio largitum: hoc verò præmium, & flagellum charitati eius ardenti, vel assumptæ, vel derelictæ correspondent: idcirco in medio candelabrorum aureorum, qui tenebat in dextera sua septem stellas, Iohanni apparuit: altero ecclesiæ Angelo proponitur corona vitæ, quæ fortitudinem illius ecclesiæ, ob mortem recipendam, respicit; vnde finis beatitudinis adipiscendus est; idè esto fidelis vsq; ad mortem, vt possis coronari: vnde mortuum iam fuisse, nunc viuere dixit. Tertio ecclesiæ Angelo cum nomen, & fidem suam videatur dereliquisse gladio oris sui ea interficere minando, occurrit; præmium verò propter pœnitentiam actam in derelictione veri nominis dei, est calculum, & in eo nomen novum scriptum: vnde conflatum perfecta, & diuina nostra felicitas. Quarto deinde ecclesiæ Angelo significatur morbus, qui simul cum interitu filiorum consecuturus est: per mittebat enim falsos prophetas seducere seruos suos fideles, & fornicari, & manducare de idolatriis: cum ergo ista vindicta sequatur ob falsos prophetas admissos, non immeritò similes aurichalco pedes habere nunc inspicitur: præmium verò est regnum in terra supra gentes in virga ferrea; sicut ipse accepit à patre, qui à principio permisit interfici filiū, vt ob eius mortem passam mundum in fortitudine magna, & brachio extento iudicaret, vt iudicium Dei super quatuor partes terræ testatur, in quo iudicio residerè etiam debent credentes in eum.

CAP.

## CAP. III.

**E**T Angelo ecclesiæ sardis scribe. Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Scio opera tua; quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant; non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquàm fur, & nescies qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina in sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis; quia digni sunt; qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, & nõ delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Et Angelo philadelphia ecclesiæ scribe; hæc dicit sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Scio opera tua; ecce dedi coram te hostium apertum, quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum. Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt se iu deos esse, & non sunt; sed mentiuntur. Ecce faciam illos, vt venient, & adorent ante pedes tuos, & scient

& scient; quia ego dilexi te. Quoniam seruaſti verbum patientiæ meæ; & ego ſeruaſto te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitâtes in terra. Ecce venio cito tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui viderit faciam eum columnam in templo dei mei, & foras non egredietur amplius; & ſcribam ſuper illum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis meæ nouæ Hyerufalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum, qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat eccleſiis. Et Angelo Laodiceæ eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit amen teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ dei: Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, vtinam frigidus eſſes, aut calidus; ſed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus incipiam te euomere ex ore meo; quia dicis quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis: quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cecus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples ſiſ, & veſtimentiſ albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inuge oculos tuos, vt videas. Ego quos amo corrogo, & gaſtigo: emulare ergo, & pœnitentiã age, ecce ſto ad hoſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipſe mecum: Qui viderit dabo, ei ſedere mecum in throno meo; ſicut,

cut, & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aurem audiat quid ſpiritus dicat eccleſiis.

Et Angelo eccleſiæ ſardis ſcribe, &c.

**Q**VINTO itaq; Angelo eccleſiæ ſignificatur pugna ei inuenda; cū eius opera non ſint plena coram Deo: idcirco primò proponitur præmium, & pœna: non vigilanti enim veniam, inquit, vt fur; idcirco hæc dicit, qui habet ſeptem ſpiritus Dei, ac ſeptem ſtellas: vnde ſcio quod nomen habes, quod viuas, & mortuus es: vigilans verò, atque vincens veſtieris, inquit, veſtimentiſ albis, ſicut illi, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, & non delebo nomē eius de libro vitæ; ſed confitebor nomen eius coram patre meo. Sexto verò Angelo eccleſiæ in pugna tentationis ei perſiſtendum eſſe notum facit, ne alter accipiat coronam ſuam, & ſic de libro vitæ deleatur: Idcirco de vincente dictum fuit: faciam columnam in templo dei mei: Dominus enim templum illorum erat, qui cum habeat clauem David, à nullo alio niſi à ſemetipſo claudi, aut aperiri pot eſt: faciam itaq; illum columnam in templo Dei mei, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei: quapropter, & nomen, & verbum Dei, quod ipſius intellectus poſſibilis eſt actus, & perfectio in frontibus beatorum dicitur ſcriptum; miſericordia itaq;, & veritas te non deſerant, circundas eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam coram Deo, & hominibus: vt inquit Salomon Prou. lib. Nomen enim à Deo

C vocatum,

vocatum, non accidens: sed substantia, & voluntas eius in nobis est: vnde, & terra tua non vocabitur amplius desolata; sed vocaberis voluntas mea in ea, à qua cū pendeat propria hominis forma, & immortalitas: ideo vocavi te nomine tuo; meus es tu, ex quo honorabilis factus es in oculis meis; & gloriosus. *Isaias cap. xl3.* Nominabitur ergo tibi nomen tuum à Deo in sempiternum pax iustitiæ, & honor pietatis *Baruch cap. v.* Ob hanc itaq; gloriam super electos ortam dicitur nomen à Deo novum, & admirabile, vnde cur quæris nomen meum, quod est mirabile dictum fuit ab Angelo, de qua natura angelica dixit Deus est nomen meum in illo. *Exodi cap. 22:* Quapropter de essentia Dei, quæ tribus personis refulxit, verba faciens inquit, primo scribam super eum nomen Dei patris mei, & nomen etiam novæ Hierusalem civitatis Dei, quæ descendit de cælo à Deo meo illustrata gratia spiritus sancti diffusa per uniuersum orbem terrarum, quæ ciuitas cum non egeat lumine, & sole: claritas enim Dei illuminat illam; idcirco qui in ea ingrediuntur vestimentis albis decorantur; sicut Christo euenit dum in splendida, & suavissimam lucem illam, quæ pro sempiterno templo desiderata fuit à Petro, transfiguratus emicuit. De tertia verò persona ultimo loquens, inquit, & nomen meum novum: Idcirco iam dictum fuit, dabo ei nomē novum, quod nemo nouit, nisi qui accipit: quapropter simul cum eo dictū fuisse audiuimus, & dabo illi calculum candidum: Tres enim sunt, inquit Iohannes, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, et hi tres vnum sunt, & tres sunt, qui testimonium dant in terrā Spiritus.

ritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres vnum sunt. Tandem ad septimum Angelum ecclesiæ accedens redarguit falsā persuasionem, & hæresim: vnde neq; calidus, neq; frigidus, sed propter pessimam dispositionem, & ignorantiam tepidus dictus est: quamobrem hortatur illum, vt aurum ab eo emat ignitum, ex quo auro igne probato facta sunt aurea candelabra ante deum lucentia: idcirco vera religione hauriri tantum potest, non aut falsis, & hereticis opinionibus quibus hauri calcū, & non aurū extrahi potest: opera enim media sunt necessaria post lucis in nobis aduentum: vnde stō ad hostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum: quapropter hæc dicit, vt à principio inquit, qui est principium creaturæ Dei: Docet itaq; vt ematur ab eo aurum ignitum, & nomen novum, vt est lux diuina, quæ ob flagrantiam solum amoris in nobis splendere valet; quæ quispian albis, & splendidibus vestimentis statim indui potest. Tunc enim parebit inquit *Esdra lib. 1111.* probatio electorum meorum, vt aurum quod probatur igne: vnde byssino splendenti decorantur, quæ sunt iustificationes sanctorum: nam in nobis est sola potentia emendi hoc aurum ignitum, & potabile: quapropter *Esdra lib. 1111.* dixit nam & ipsi accipientes libertatem spreuerunt Altissimum, & legem eius contempserunt, & vias eius dereliquerunt: si ita que potentia, & libertas accipiendi, & emendi aurum ignitum est insita nobis; idcirco desiderium est: ergo priuatio, & paupertas eius in nobis est: vnde scintilla solum amoris emi à nobis potest, vt diuites facti paupertatem nostram, &

nuditatem non videamus. Quamobrem Adam post commissum peccatum statim cognouit nuditatem suam: nam luce diuina in eo obscurata, tenebris coopertus statim fuit: ideo colyrio munge oculos tuos, vt videas: vnde in Cantica Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te: ergo ex auro ignito, & empto splendens vestimenta alba: vnde potentia nostra intelligendi ditatur, oculosq; habendo videt: quamobrem si pœnitentiam egerint ob caritatem de missam, & constantes fuerint vsque ad mortem, ob testimonium filii Dei, accipiendam, & à fornicatione permissa, à falsis quoque prophetis, prauæq; dispositionis ignorantia prædictis, hereticis, & à somni delirio immunes fuerint, dabitur eis edere de ligno vitæ; dabitur etiam non læsis à morte secunda, corona vitæ, calculum candidum, nomen nouum, imperium in virga ferrea, & vestimenta alba: vt tandem fiant columna in templo Dei, cuius columnæ marmor, & splendor est Christus; at si pœnitentiam non egerint, fiet migratio candelabri, & ecclesiæ de loco ad locum: lædentur à morte secunda; interficientur gladio oris Dei, peste, ac morbis varijs affligentur: delebuntur de libro vitæ, in quo erant scripti, & tandem tanquàm tepidi euomentur ex ore Dei, & extra templum Dei eicientur; extra quod non sunt nisi inconstantes, fornicarij, heretici, caritatem non habentes, somnolentes, imperfecti, idolatri, quorum iudicium in sequenti parte prænunciare aggreditur Iohannes.

## CAP. III.

POST hæc vidi, & ecce hostium apertum in celo, & vox prima, quã audiui tanquàm tubæ loquentis mecum dicens ascende huc, & ostendā tibi, quod oportet fieri cito. Post hæc statim fui in spiritu. Ecce sedes posita erat in celo, & supra sedem sedens, & qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardinis, & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdine, & in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, & super thronos vigintiquatuor seniores sedentes circum amici vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, & de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei, & in conspectu sedis tanquàm mare vitreum simile cristallo; & in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro, & animal primum simile leoni; & secundum simile vitulo; & tertium animal habens faciem quasi hominis; & quartum animal simile aquilæ volanti: & quatuor animalia singula eorum habebant alas senas in circuitu, & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die, & nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotēs, qui erat, qui est, & qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam,

gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum viventi in secula seculorum, procedebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.

Post hæc vidi, & ecce hostium apertum, &c.

**S**ICUT cap. primo Iohanni apparuit simile filio hominis cum ea virtute, & maiestate, qua mundus per ipsum à Deo iudicandus est, ita etiam in hac secunda parte principali, hoc totum mysterium à principio constitutum iam fuisse à patre, à quo dependet, eidem communicatur: cum vero filius sit idem cum patre, qui per filium videtur: idcirco ab eadem voce statim post primam filij revelationem, vocatur etiam nunc ad patris similitudinem inspiciendam.

Hæc ergo secunda extasis statim fuit post primam. Nam conversus Iohannes à voce magna quæ à filio Dei emanabat, primò vidit post se in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis: at raptus deinde in cælum, vidit ea, quæ citò euentura sunt in perniciem eorum, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ igni. Idcirco ab eadem voce, à qua etiam cap. primo vocatus fuit: inquit enim, & vox prima, quam audiui tanquam tubæ loquentis me cum  
di ceno

dicens ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri citò. Quapropter invisibilia à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. Paulus ad Rom. Ideò videns omnipotentem Deum, cuius quies immobilitas est, inquit, & ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedes: unde supra similitudinem firmamenti similitudo throni, & super similitudinē throni similitudo aspectus hominis desuper visa fuit ab Ezechiele cap. primo. Cum verò tãquàm supra sedem cælo assistens ipse Deus, intelligendo tantum, cælum primò moueat, ex cuius deinde motu per se etiam gubernare voluit hunc mundum inferiorem: idcirco de solo aspectu divini intellectus loquitur, quem dicit esse lapidis iassidis, ex cuius etiam lumine conflatur habitaculum Dei cum hominibus, cuius lapilli fulgore circa sedem Dei, cœu Iris micat gloria eius: unde, & aspectus arcus cum fuerit in nube in die pluviae, hic erat aspectus splendoris per girum, & similitudo gloriæ domini visæ, dictum fuit in Ezechiele; circa quam sedem erant sedilia vigintiquatuor seniorū, ex quibus gradus beatitudinis, ob diuersas mansiones assistentium spirituum in primis à materia abstractorum, declaratur. Quoniam verò pater per filium venturum in virtute magna, & maiestate, rectorus erat mundum in manu forti: ideo inquit, & de throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua: unde Daniel inquit. Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus, fluvius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius: septem verò lampades ardentes ante thronum exponuntur per septem Dei spiritus, quæ septem ecclesiæ sunt, quibus amore diuino in terra flagrantibus, in cælo etiam, cœu  
septem

septem lampades angelica, & virgines prudentes, quæ sum-  
 pserunt oleum secum ante sponsi aduentum, plena gratia,  
 & veritatis splendens: Quapropter de veteris mundi confri-  
 ctione orta à fulguribus, & tonitruis procedentibus à thro-  
 no Dei venturi in nube, & virtute magna, verba faciens in-  
 quit. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile  
 crystallo: vnde cap. II. dictum fuit, & dabo illi potestatem  
 super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas  
 figuli confringentur: sicut, & ego accepi à patre meo. Ecce  
 sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea dixit domi-  
 nus in Hyeremia cap. XVIII: cum ergo tanquam vas, quod  
 ipse faciebat è luto manibus suis, confringendus sit mun-  
 dus: idcirco postquam dixit, & exient à throno Dei fulgu-  
 ra, & tonitrua, quibus, & sedes bestia, destruenda est, & ani-  
 ma bestia omnes trucidanda sunt in mari: vidit deinde ma-  
 re vitreum simile crystallo; in medio verò sedis, & in circui-  
 tu sedis quatuor animalia. Ista sunt quatuor potentia cale-  
 stes, quæ tenent quatuor illos ventos, quibus flantibus, qua-  
 tuor partes terræ confringendæ sunt: idcirco Daniel cap. VII.  
 dū quatuor venti pugnabant in mari magno, vidit quatuor  
 illas bestias ascendisse de mari, quæ comminuendæ sunt à la-  
 pide de monte sine manibus abscisso. Quoniam ergo ob ista  
 quatuor animalia, quæ vidit Iohannes, gladius, iustitia, &  
 victoria, & ablatio pacis introduci debet: idcirco propter  
 fortitudinem, bellum, iustitiam, & mortem, per vniuersas  
 partes terræ, ob testimonium filij Dei interfecti, mittendæ,  
 leoni, vitulo, homini, & aquilæ assimilata fuerunt: ab vno  
 quoque enim quatuor animalium auferri debet ex mundo,  
 atque

atque introduci, ob iustitiam Dei, gladius, & mors per qua  
 tuor partes terræ. Unde vnumquodq; quatuor animalium  
 exiuit vincens, vt vinceret: idcirco vnicuique quatuor animalium  
 quatuor has facies inesse vidit Ezechiel cap. primo. Nam  
 hæc animalia cum ad perficiendum iudicium Dei, vt ab ipso  
 iam decretum fuit, mitti debeant per omnes quatuor par-  
 tes terræ: idcirco singula eorum vndique alata sunt, alaque  
 ipsorum numero senario, qui numerus perfectus est, enume-  
 rantur: dicuntur itaque singula habere alas senas in circuitu,  
 & intus plena oculis, quibus intelligendo vident; vnde poten-  
 tiam, & gloriam, & iudicium Dei, quo & Hyerusalem, &  
 Asia, & mundus confringendus est ob fulgura, voces, & to-  
 nitrua procedentia à throno Dei, admirantibus quatuor ani-  
 malibus sempiterno æuo canendo, repetitum fuit Sanctus,  
 Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, qui  
 erat, & qui venturus est: & quoniam corona, quæ supra  
 caput viginti quatuor seniorum refulxit, confirmata est ob  
 iudicium Dei consummatum: idcirco dum quatuor illa ani-  
 malia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti su-  
 pra thronum reddebant; statim etiam viginti quatuor se-  
 niores iudicia Dei vera esse videntes, dum adorabant ante  
 thronum viuentem æterno tempore, coronas, & gloriam,  
 & honorem, & virtutem suam deponerant ante conspectum  
 Altissimi, propter cuius voluntatem omnia erant, & crea-  
 ta sunt.

D. CAP.

et quoque

CAP. V.

**E**T vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus, & foris signatum sigillis septem; & vidi Angelum fortem prædicantem voce magna. Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? & nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum; quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum. Et vnus de senioribus dixit mihi ne fleueris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David aperire librum, & soluere septem signacula eius, & vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tãquàm occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram: & venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum, & cum aperuisset librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli cytaras, & phialas aureas plenas odorum, quæ sunt orationes sanctorum, & cantabant canticum nouum, dicentes dignus es domine accipere librum, & aperire signacula eius: quoniã occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo

populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eius millia millium dicentium voce magna; Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum: & quatuor animalia dicebant amen. Et vigintiquatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in secula seculorum.

Et vidi in dextera sedentis supra thronum, & c.

**Q**VONIAM pater filio, quem diligit omnia in manu eius collocando iudicium omne dedit: idcirco hoc mysterium à manu patris, à qua pendet, accipitur nunc ab Agno, per quem adimpleri debet. Vidit ergo Iohannes in dextera omnipotentis Dei librum scriptum intus, & foris, qui spiritus prophetie est, testimonium perhibens Dei, & filij eius venturi in mundo, atq; recturi in gladio oris sui. Quapropter in hoc libro scripto intus, & foris lamentationes scriptas esse, & carmina: *Uah* dixit Exechiel cap. II.

Unde nemo inuentus est, qui dignus esset aperire librū. Nā solum ab eo Agno, ob quem à principio in voluntate diuina scriptus erat, solui poterat: solum enim filio, qui est splendor gloria, & figura substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ, datum fuit sedere ad dexterā maiestatis in excel sis; quo ad vsque ponerentur inimici eius sgabellum pedum suorū. Quomā igitur occisio agni ab origine mundi in mente diuina cōcepta fuit, à qua spiritibus emanantibus per os prophetarum, etiam mūdo prædicta fuit: idcirco dictus est iste liber, testimoniū Dei, scriptus intus, & foris. Unde solum ab Agno habente septem oculos, qui sunt septem spiritus missi in omnem terram ad consumationem mysterij in eo libro scripti, septem sigilla libri clausi aperiuntur: Unde virtus, fortitudo, diuinitas, sapientia, honor, & gloria, & benedictio Agni omnibus clara fiet: cum ergo, neque in terris, neque in cælo detur creatura præstantior filio Dei: iste enim tanto melior angelis effectus est, quanto differentius præ illius nomen hereditauit: ideo solum ab eo aperiri potuit liber; unde in mundo virtutes patefactæ sunt omnes. Quapropter Daniel cap. VII. Et aspiciebam, inquit, in uisione noctis, & ecce cū nubibus cæli quasi filius hominis ueniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eū, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Idcirco postquam ab Agno acceptus, atque apertus fuit, statim numerus milia millium dixerūt dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem, diuinitatem, sapien-

sapientiam, honorem, gloriam, fortitudinem, & benedictionem: Ideo cornua septem, quæ cornua uentillauerunt Iuda per singulos dies, ut deiciant cornua gentium, & dispergāt terram Iudam, dictus est Agnus stans in medio quatuor animalium habere, & etiam oculos septem: septem enim isti oculi Domini sunt, qui discurrunt in uniuersam terram, inquit Zacharias cap. I III. Unde, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, ut dictum fuit ab eodem. facias ergo & septem lucernas, & ponas eas super candelabrum, ut luceant ex aduerso, dictum fuit in Exod. cap. XXV: Ideo lucernæ septem contra boream è regione respiciant ad mensam panum propositionis contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debent, ut præceptum fuit cap. VIII. Numeri: idcirco in medio throni, à quo fulgura, voces, & tonitrua procedebant, & in medio quatuor animalium, & in medio seniorum, Agnum venturum cum nubibus uidit Iohannes quasi occisum habentem cornua septem, & oculos septem. Unde & à vigintiquatuor senioribus Agno, per quem omnia fiunt, ut à manu patris ei traditum fuit, gratia reddita est, & etiam ab omnibus spiritibus angelicis: Dum quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores post libri reclusionem, ceciderunt coram Agno dicentes dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius; quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo: ex morte. n. Christi depositum fuit corpus mortuum, & mortalis tunica, quam Adam à natiuitate sua accepit: idcirco facti sumus Deo in regnum sacerdotale, & gens sancta, & regnabimus

cum



*cum eo super terram. Quapropter occisione Agni cum omnia confirmata, & perfecta in terra, & in caelo sint: idcirco omnes Angeli Dei eum adorarunt: verbo enim Dei, sicut omnia erant; ita etiam creata, & facta sunt. Solus ergo Agnus dignus iudicatus est aperire librum clausum septem sigillis in manu domini.*

## CAP. VI.

**E**T vidi quod aperuisset agnus vnū de septem sigillis, & audiui vnum de quatuor animalibus dicens tanquā vocem tonitruū veni, & vide. Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret; & cum aperuisset sigillum secundum audiui secundū animal dicens veni, & vide, & exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. Et cum aperuisset sigillū tertium audiui tertium animal dicens, veni, & vide. Et ecce equus niger, & qui sedebat super illū habebat stateram in manu sua, & audiui tanquā vocem in medio quatuor animalium dicentium bilibris tritici denario vno, & tres bilibres ordeī denario vno, & vinum, & oleum ne læseris. Et cū aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis veni, & vide. Et ecce equus pa-

lidus:

lidus: & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum: & data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ. Et cum aperuisset sigillum quintū vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant vocē magna dicentes, Vsq̄ue quo domine (sanctus, & verus) non iudicas, & nō vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? & datae sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent ad huc tempus modicum, donec cōpleantur conferui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt: sicut, & illi. Et vidi cum aperuisset sigillum sextū: & ecce terrā motus magnus factus est, & sol factus est niger: tanquā saccus cilicinus: & luna tota facta est: sicut sanguis, & stellæ de caelo ceciderunt super terram: sicut ficus emit grossos suos cum à vento magno mouetur, & cœlū recessit: sicut liber inuolutus, & omnis mōs, & insulæ de locis suis motæ sunt, & reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis; & in petris montium, & dicunt montibus, & petris, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?

Et vidi

Et vidi quod aperuisset agnus vnum de septem sigillis, &c.

**Q**VONIAM ex re clausione libri septem sigillis signati, bellum, & mors, ob iustitiam, & victoriam ipsius Agni Dei, mitti debent in mundo; idcirco Agnus tanquam occisus, in medio quatuor animalium visus fuit capite superiori: unde gloria, fortitudo, virtus, sapientia, honor, & benedictio ei, postquam liber apertus fuit, reddita est in caelo. Apertis ergo quatuor primis sigillis exiit in mundo victoria, & iustitia Dei, ob gladium, & mortem introductam. Quapropter ad inspiciendum vnumquodque istorum quatuor vocatur non immerito Iohannes ab vnoquoque quatuor animalium: ab ijs enim quatuor animalibus adducendo furorē Dei, & finem temporum decretum, quatuor vnti flare debent super quatuor partes terrae. Ideo iuxta haec quatuor animalia quatuor rotas vidit Exechiel cap. primo. Unde cum ambularent animalia, ambulabant pariter, & rotae iuxta animalia, & cum eleuantur de terra animalia, similiter, & rotae eleuantur. Nam rota erat in medio rotarum, & aspectus rotarum erat horribilis, vt mare: vox enim eius, vt vox multarum aquarum, vt cap. I. dictum fuit: quatuor ergo animalibus assistentibus quatuor sigillis exeunt quatuor equi, qui per ambulat terram. Aperto itaque primo sigillo victoria ipsius Agni statim ostenditur: ideo vocatus Iohannes ab animali, ob cuius fortitudinem, & victoriam adeptam simile leoni dictum est, vidit exire equum album, & sedenti

sedenti super eum data est corona, quae victoria cum iam à principio Agno tributa esset à primo intellectu: Idcirco inquit, & exiit vincens, vt vinceret: satisfecit enim se ipsum à principio Deus; vt inquit Esdras. Quapropter ob hanc victoriam, & gloriam vidit Iohannes cap. I. filium Dei habere caput, & capillos albos tanquam nix. Unde Esdras inquit lib. II. cap. XVIII. quoniam fortis dextera eius, quae arcum tendit, sagittae eius acutae, quae ab ipso mittuntur non deficient cum coeperint mitti in fines terrae. Secundo vero aperto sigillo pacem de terra auferendam esse vaticinatur propter bellum in mundo excitandum ab ira Agni: Unde vocatus Iohannes ab animali simile vitulo equus, vt idem Iohannes vidit, exiit rufus, & sedenti super eum datus est gladius magnus, quo se interficiant homines: sed quoniam noua Hierusalem, post veteris destructionem, è caelo descensura est; sicut Deus per prophetas suos locutus est: idcirco iterum debent emi agri in terra ista. Unde suadeo tibi à me emere aurum ignitum, vt locuples fias, & ne videas paupertatem tuam. Quamobrem aperto tertio sigillo exit equus niger, & sedens super eum habebat stateram in manu sua, cui à voce exeunte ex medio quatuor animalium dictum fuit, bilbris tritici denario vno, & tres bilbres ordei denario vno, & vinum, & oleum ne laferis. Omnes ergo qui ex Egypto profecti sunt paupertate, & fame exterminandi non sunt. Quapropter cum in noua Hierusalem post veteris destructionem, iterum habitandum sit: idcirco Hieremie verbum Domini factum fuit cap. XXXIII, atque imperatum fuit, vt antequam Hierusalem à rege Babylonis caperetur, emeret

E sibi

sibi agrum, & hoc scriberet in libro signato adhibitis testibus, & poneret in vase fictili, ut permanere possint diebus multis. Ecce enim congregabo vos de vniuersis partibus, & dabo vobis vnum cor, & viam vnam. Erunt enim inquit Dominus in Hyeremia mihi in populum, & ego ero illis in Deum, & faciam eis pactum sempiternum. Quarto aperto sigillo vidit Iohannes quatuor iudicia pessima Dei, gladium, famem, & bestias malas, & pestilentiam, quibus quatuor partes terræ cruciadae sunt; sicut Iohannes ab excelsa Aquila vocatus intellexit. Ecce ego dicit Dominus induco super orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem, & interitum, ut habetur cap. XV. lib. III. Esdrae. Unde quatuor animalia, facies quatuor habere Exechieli visa fuerunt: nam per vnuquodque ipsorum per quatuor partes terræ debebat auferri pax, & introduci gladius, & mors, & iustitia Dei: exiuit enim vincens, ut vinceret: vnde leo ponitur à dextris cuiuslibet quatuor animalium. Quamobrem quatuor ista animalia circa agnum quasi occisum stabant, qui gloria, honore, virtute, sapientia, & benedictione praeditus erat: quibus omnibus lucidissimis radijs per vniuersum orbem diffusis corrorandus erat reclusis septem sigillis: equi enim albi, & rufi, & varij sunt ij, inquit Zacharias cap. primo, quos misit dominus, ut per ambulent terram, atque stent coram dominatore omnis terræ, ut idem habet cap. VI. Unde & ecce quatuor quadrigae egredientes de medio duorum montium, & montes, montes aenei. In quadriga prima equi, rufi, & in quadriga secunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes, ut Zachar.

ipse

ipse vidit cap. VI. quapropter quatuor fabros ostensos ei à domino, cornua esse, quae ventillauerunt Iudam per singulos dies, interpretatum fuit. Idcirco ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creavi interfectorem ad disperdendum; ut habetur in Hyerem. cap. LIII. Deus enim produxit ventos de thesauris suis Psalm. CXXXIII. Postquam itaque recondita iudicia Dei haecenus reuelata Iohanni fuerunt, ex reliquis nunc sigillis apertis causa, atque origo totius archani, atque mysterij Dei explicatur. Haec autem cum pendeat à sanguine Agni, & sanctorum ob testimonium eius, effuso: ideo inquit: & cum aperuisset sigillum quintum vidi subius altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna dicentes: usque quo domine sanctus, & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, quibus dictum est, ut requiescerent, atque stola alba singulis datae sunt: nam modicum tempus est donec compleantur conserui eorum, qui interficiendi sunt, ut illi: sicut à principio constitutum fuit à patre, à cuius manu pendere mysterium per librum ab Agno acceptum, vidimus. Quamobrem inquiretur omnis sanguis iustus, qui effusus est à constitutione mundi omnium prophetarum à generatione ista super quam venire debet: tunc enim veniet tempus reddendi mercedem seruis suis prophetis. Ecce enim relinquetur domus vestra deserta, ecce sanguis innoxius, & iustus clamat ad me perseueranter: vindicans vindicabo illos dicit Dominus, & accipiam omnem sanguinem ex illis ad me: ut dictum fuit in Esdra lib. III. cap. XV. Iudicia verò, & signa praecedentia luctum,

atque interitum quatuor partium mundi ab ira Agni eunturum, predicuntur in hoc sexto sigillo, cuius flagelli magnitudinem testantur sydera omnia, caelum, & terra, & partes eius, & omnes, qui super eam sunt, Reges, Tribuni, & milites: postquam motu, tenebris, & mestis prodigijs tristitia etiam datura sunt signa. Quamobrem inaudita desperatione distracti homines cupient à montibus, intra quorum speluncas confugerunt, cooperiri, ut in destructione Iudae, & Hierusalem multis, ac principalioribus euenisse legitur: unde, & ingredietur scissuras petrarum, & in cauernas saxorum à facie formidinis Domini, iam predictum fuit: sicut etiam optime testatur ingens iudeorum numerus à Romanis intra speluncas in destructione Iudae trucidatus: pater enim omne iudicium dedit filio, ut honorificetur filius; sicut ijs tribus iudicijs Hierusalem, Asia, & mundi factum est.

## CAP. VII.

**P**OST hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor angulos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem: & vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari; dicens nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quo ad usque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum: Et audiui numerum signatorum centum

tum quadragintaquatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda XII. milia signati. Et tribu Ruben XII. milia signati. Et tribu Gad XII. milia signati. Ex tribu Aser XII. milia signati. Ex tribu Neptalim XII. milia signati. Ex tribu Manase XII. milia signati. Ex tribu Simeon XII. milia signati. Ex tribu Leui XII. milia signati. Ex tribu Ysacar XII. milia signati. Ex tribu Zabulon XII. milia signati. Ex tribu Ioseph XII. milia signati. Ex tribu Benjamin XII. milia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum; & in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes. Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes. Amen Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum Amen. Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi. Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? & dixi illi domine mi tu scis; & dixit mihi hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas sanguine Agni: Idem sedent ante thronum Dei, & seruiunt

ei die, & nocte in templo eius, & qui sedet in throno habitabit super illos non exurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Post hæc vidi quatuor Angelos stantes, &c.

**Q**VONIAM potestas est omnis à Deo in mundo per Angelum: idcirco vidit Iohannes quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ, qui per ambulare debent terram, ut deiciant cornua gentium, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem: Quapropter ab Angelo ascendente ab ortu solis electi signo, & gratia Dei illustrati in frontibus ipsorum, intacti permanebunt à nubibus in perditione gentium congregatis: ij enim Deo consecrati sunt de utero matris: unde inquit Sanson si rasum fuerit caput meum recedet à me fortitudo mea, & deficiam: erit enim tunc sicut cæteri homines, à quibus recessit Dominus. Non ergo uniuersi, qui profecti sunt ab Egypto per Moysen ex acerbauerunt, ut scripsit Paulus ad Rom. cap. III. unde, & audiui numerum signatorum. In hac ergo electione ex unaquaque tribu, quæ duodecim sunt, eliguntur duodecim milia signati. Idcirco propter nomina eorum, quæ ab origine mundi signata fuerunt in libro vitæ, clamabat Angelus ab oriente vo-

ce

ce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere quatuor partibus terræ, ut expectare vellent antequam flarent super quatuor partes terræ, quoad usque signarentur serui Dei in frontibus ipsorum: ut enim mulieris matrix, quæ parit per tempus parit, neque decem in unum dare potest: sed secundum tempus: ita etiam Deus, ut dixit Esdras lib. IIII, dedit matricem terræ his, qui seminati sunt super eam per tempus: quemadmodum enim infans non parit ea, quæ seminum sunt: sic ego disposui à me creatum seculum, inquit Dominus: statim enim ponderavit deus seculum, & mensuram mensuravit tempora, & numero numeravit tempora: quando ergo impletus fuerit numerus seminum in nobis, tunc quatuor angeli stantes super quatuor partes terræ spectantes finem seculi, non amplius tenent quatuor ventos terræ: sed eos super terram, & mare flare relinquent, ut stent coram dominatore omnis terræ: de quibus etiam intellexit Daniel, quando dixit. Et ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno: unde quatuor bestie grandes ascendebant de mari, per quas finis temporum eorum venire debebat. Quapropter non ne tu es dixit Leo ad Aquilam, qui superasti de quatuor animalibus, quæ feceram regnare in seculo meo, & ut per eos veniret finis temporum eorum, ut habetur apud Esdras lib. IIII. Cum itaque tempus partus non dum venerit pregnantis nostræ terræ: idcirco dictum fuit quatuor angelis, ne flarent super terram, & mare, quoad usque signati essent omnes serui Dei, qui à principio, ut inquit Esdras lib. IIII. fidem thesaurizauerunt: unde mortem non gustauerunt à natiuitate sua: habeo enim, & alias oves, quæ non sunt

Sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocē meā audient, dictum fuit in Euangelio Iohannis propter populum venturum, & aliā multitudinem pacificam: Servaui enim inquit Deus in Esdra lib. II. mibi acinum de Botro, & plantationem de tribu multa, quæ cum à terra, cuius marici iam credita fuerit, adhuc parta non sit: ideo tempus partus eius expectandum esse ostendit Angelus, dum ab oriente clamabat quatuor ventis ne flarent, quoad usque signati essent serui Dei in frontibus ipsorum: quamobrem coronæ assimilabo iudicium meum: sicut non nouissimorum tarditas; sic nec priorum velocitas, ut habetur cap. V. lib. III. Esdra. Quapropter post hæc vidi, inquit Iohannes, turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & populis, & linguis: idcirco duodecim portæ templi Dei panduntur iuxta quatuor partes terræ. Unde surgite, & state, & videte numerum signatorum in conuiuio Domini, qui se de umbra seculi transtulerunt, & stoliditas tunicas à Domino acceperunt: factus est enim primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem: primus homo de terra, terrenus; secundus de cælo, cælestis: ergo sicut portauimus imaginem terreni hominis, portemus, & imaginem cælestis: oportet ergo mortalem primam tunicam deponere, & immortalam sumere, & tunc, ut inquit Paulus ad Corinth. cap. XV. Absorta erit mors in victoria. ij ergo sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Quamobrem recipe sion numerum tuum, & conlude candidatos tuos, qui legem domini compleuerunt

pleuerunt filiorum tuorum, quos optabas plenus est numerus. Roga imperium domini, ut sanctificetur populus tuus, qui vocatus est ab initio. Ego Esdras vidi in montem Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis conlaudabant Dominum: idcirco salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno, & omnes angeli stantes in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium ceciderunt in faciem suā, & adorauerunt Deū dicentes. Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen. Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? & dixi illi, Domine mi tu scis. hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Beati ergo qui lauant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrēt in ciuitatem. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die, & nocte in templo eius, & qui sedet in throno habitabit super illos: templum enim ipsorum est Deus omnipotens, à cuius conspectu cum pendeat vita, & fœlicitas beatorum; ideo cap. III. dictum fuit, qui habet clauē David; quæ aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Quapropter hæc ciuitas non eget sole, & luna: cum agnus regat, & illuminet illos: idcirco nō esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol aut vllus æstus; quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum: nam licet intellectus noster sapiat naturam cælestem, tamen cum potentia sit, coniunctus corpori terrestri nō

*est absque contrarietate, & hoc est cogitamentum certaminis dixit Angelus ad Esdram lib. IIII. quod certabit, qui super terram natus est homo, ut si victus fuerit patiatur: si autem vicerit, recipiat quod dico: idcirco ecclesiarum septē angelis præmium, & pœna proposita fuit si egerint, vel non egerint pœnitentiam: ut enim angelicum lumen à Deo infusum in ecclesia, qui sumus nos non extinguetur, requiritur etiam cultura, & excitatio nostra: habemus enim thesaurum in vasis fictilibus: vnde luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. At angeli in cœlum degentes, cum ab omni corporea mole sint immunes, exempti sunt ab omni repugnantiâ: vnde æterno ævo fruuntur illis lympidissimis aquis, quæ absque agitatione in hoc mundo minimè degustari valent, tunc ergo absterget dominus omnem lachrymam ab oculis eorum.*

## CAP. VIII.

**E**T cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora, & vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ. Et alius angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coràm Deo, & accepit Angelus thuri-

thuribulum aureum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus. Et septē angeli, qui habebant septem tubas præparauerunt se ut tuba canerent. Et primus angelus tuba cecinit, & facta est grandis, & ignis mista in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est. Et secundus Angelus tuba cecinit, & tanquàm mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis: & mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit. Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo stella magna ardens tanquàm facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum; & nomen stellæ dicitur Absinthium, & facta est tertia pars aquarum in absinthium, & multi hominū mortui sunt de aquis; quia amaræ factæ sunt: Et quartus angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum: ita ut obscuraretur tertia pars eorum, ut diei non lucret pars tertia, & noctis similiter; & vidi, & audiui vocem vnus aquilæ volantis per medium cœli dicentis voce magna Væh, Væh, Væh habitantibus in terra: de cœteris vocibus tubæ trium angelorum, qui erant tuba canituri.

Et cum aperuisset sigillum septimum, &c.

**Q**VONIAM ob occisionem Agni Dei iudiciū mūdi secutum est: idcirco postquam huc vsque simul vaticinando egit de tribus iudicijs Dei, nunc sigillatim de vnoquoq; agitur. Incipit ergo nunc Iohannes à destructione Hierusalem ob cuius impietatem ira dei, & iudiciū eius, quo quelibet pars mundi etiam iudicanda est, primò, & citò erumpere debet: sicut à manu, & potestate patris datum fuit filio, qui hac de causa librum continentem totū mysterium Dei in cōsumatione mundi, clausum septem sigillis accipiendo à patre, apertum reddidit. Quamobrem ecce venit cum nubibus, in quibus cum virtute magna, & maiestate venturus est: vnde Gloria Dei inaccessibilis nouo, ac miro quodam modo ob hanc vindictam nunc inferendam occisi Agni, cum in cælo refulxerit; statim etiam factū fuit silentium in cælo media hora ab exercitu angelorum, qui cum tremore assistit ei. Facta itaque capite superiori, electione propter electos, ne pereat tandē omnis caro à quatuor ventis inducendis à Deo super terram, à quatuor plagis cæli, incipiunt nunc in destructione Hierusalem præostendi septem plagæ, in quorum vnaquaq; exire apparent quatuor illi equi, & animalia quatuor, quorum pennæ hac de causa iunctæ erant alterius ad alterum, & quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni inerant: vt dixit Ezechiel. Quapropter aperto septimo sigillo dantur septem angelis septem tubæ, in quarum sono, septem spiritus dei mittendi sunt ad concutien-

dam vniuersam terram. Manus ergo, & verbum domini fit prius supra septem angelos, dum illis septem tubæ datae sunt. Unde, & vox illius, qui dixit, & facta sunt, vt vox multarum aquarum. Venit ergo tempus reddendi mercedem seruis suis prophetis ob sanguinem eorum effusum in testimonium filij Dei. Idcirco ante quam septem angeli tuba canerent, prius illis data sunt incensa multa, & deinde sumpsit de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus, & tunc primus angelus tuba cecinit, & facta est grandis, & ignis mista in sanguine: peruenit igitur, atque ascendit fumus incensarum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Domino: vnde cap. V. dictum fuit, & vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna, dicētes vsque quo non vindicas sanguinem nostrū de ijs, qui habitant in terra: & dictum est illis, vt requiescant; quia modicum tempus est: Accipit itaque Angelus thuribulum aureum, & impleuit illud ob orationes sanctorum, de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & fulgura, & voces, & terræ motus magnus, quæ omnia à throno Dei procedebant cap. IIII. veniet ergo Deus in nube, & maiestate excelsa, & omnis sanguis iustus, qui effusus est, veniat super terram: idcirco imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubin, & effunde super ciuitatem: vt habet Ezechiel cap. x. hoc itaque excidium cum factum sit à Deo ob amorem, quo electos suos semper amplexus fuit: idcirco ad hanc vindictam inferendam Zona aurea præcinctus fuit ad mamillas cap. I. Quapropter post



quam Agnus librum aperuit cap. V. statim vigintiquatuor seniores habentes singuli cytharas, & psalteria aureas, quæ sunt orationes sanctorum, ut ibi habetur, cantabant canticum novum dicentes dignus es domine accipere librum, & solvere signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo. Unde vetus homo noster serpens antiquus simul crucifixus est, & sic facti sumus Deo regnum, & regnabimus super terram. Quamobrem cœperunt septem angeli tuba canere, cuius sonituiam muri Iericho corruerunt: ex sonu ergo quatuor angelorum percussa fuit tertia pars, & terra, & maris, & fluminis; ergo etiam pars tertia solis, & diei eorum percussa fuit: unde ignis accensus non solum fundamenta Hierusalem; sed etiam Asiam ipsam, ac postremò uniuersum orbem terrarum, ob iustificationem occisi Agni Dei, consummare debet. Destructio itaq; mundi ab occisione Agni secuta est, cuius sanguine lauata fuerunt stole nostra, & degustarunt de ligno vitæ, & immortalitatis: corruptio enim incorruptelam possidere nō potest: oportet tamen corruptibile hoc induere incorruptionem: idcirco occisione Agni ab origine mundi facta, ut nobis tamē pœnitentiæ daretur locus, tribus iudicijs deus consummare voluit mysterium, atque iudicium suum, gladio oris eius: quorum primo iudicium, quod ultimo loco tamen fit, est combustio uniuersi: secundum verò excidium Asiæ est, quod à destructione Hierusalem tanquã à tertia destructione inchoãdũ erat: propter itaq; ista tria iudicia in mũdo cœuentura, excidium Hierusalem cũ sit vnũ ex tribus iudicijs totius iudicij, & mysterij Dei in consumatione mundi dicta est nũc destru-

Etio

Etio tertiæ partis hominum: at ingens destructio Asiæ dicitur terra messis; unde destructio vltima uniuersi dicitur consumatio iræ Dei. Asia itaq;, & mundi destructio, cum ab eadem pendeat causa, à qua etiam originem duxit excidium Hierusalem: idcirco ab eius incendio ruina omnis primò erumptura est: primus itaq; Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis mista in sanguine, & missa est tunc in terram contrarietas omnis: unde, & tertia pars terræ, & arborum, & omne fœnum viride combustum est: cœperunt enim quatuor venti flare atque nocere terræ, mari, atque arboribus; impleuerat ergo Angelus thuribulum aureum de igne altaris, sub quo erant animæ interfectoꝝ propter verbum Dei dicentis perseveranter vsque quo domine sanctus, & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, & misit in terram: unde virtutes omnes elementorum contra uniuersam iudeam commota sunt, & facta sũt tonitrua, & fulgura: quapropter gladio, & igne non fuit pars aliqua iudeæ, quæ simul cum Hierosolima non cruciaretur propter impietates, & cruciamenta ipsorum. Secundus etiam Angelus tuba cecinit, & inextinguibilem ignem accendens, tanquam mons magnus igne ardens missus est in mari: non solum enim municipia, rura, & ciuitates omnes Iudeæ destructæ fuerunt à Romanis vna cum Hierosolima; sed etiam in mari, lacubus, ac in fluminibus trucidata fuisse, atque necatam bonam partem iudeorum à manu, gladioq; Romanorum, memoriæ proditum est. Quamobrem facta fuit tertia pars maris sanguis, cuius colore tinctum fluere visum fuit. Tertius deinde Angelus tuba ceci-

Etio

nit,

nit, & cecidit stella de cælo: sicut enim terra, aqua, & ignis; ita etiam, & aer iratus fuit contra Iudeam: nam ob intemperiem aeris in ruinam ipsorum stella cecidit magna ardēs de cælo tanquam facula cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarū, & nomen stellæ dicitur Absynthium: unde ab hac aeris constitutione mala, aqua, ut absynthium, amara facta sunt, atque etiā exsiccata sunt, & multi homines mortui sunt de aquis; quia amara facta sunt. Idcirco lugebunt, inquit Esdras lib. III. cultores operātes terram: quoniam deficient semina eorum ab vredine, & grandine, & à sydere terribili; & tamen tempore quo Titus ante Hyerusalē cū exercitu stetit, dulces, & copiosas emanasse aquas, quæ ante à amara extiterunt, scriptum extat. Quoniā verò virtutes cælestes irata fuerunt contra ipsam Hyerusalem: Idcirco quartus angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum: ita ut ob excedentem copiam exhalationis in aere obscuraretur, nobisq; tegetetur tertia pars eorum, & dici non luceret pars tertia, & noctis similiter: quapropter dabo prodigia sursum in cælo, & signa in terra deorum sanguinem, & ignē, & vaporem fumi: unde sol conuertetur in tenebras, luna in sanguinem, & non dabit splendorem suū antequam veniet dies domini: ut habetur cap. II. Act. Apost. Idcirco vidi, & audiui vocem vnius Aquilæ volantis per medium cæli dicentis voce magna Uah, Uah, Uah habitantibus in terra de cæteris vocibus tubæ trium Angelorum, qui erant tuba canituri. Quamobrem vox ab Aquilone, vox ab occidente, vox à quatuor ventis Uah, Uah. Contra Hyerusalem,

contra

contra templum, & contra vniuersum populum hunc exclamabat voce magna per totā ciuitatem, vir ille Hyerolimianus nomine Iesus antequam excitatum fuisset bellum contra Hyerolimam: sed adhuc in summo ocio ipsa degente, neque prius quieuit, donec oppressa obsidione esset ciuitas; Circa cuius templum, & altare etiam in principio belli adeo ingens lumen ad bonam partem noctis visum fuit, ut dies omnibus appareret: nocte etiam sfonte portæ templi aperta visa fuerunt, atque à sacerdotibus audita fuit vox in templo, quæ, hinc discedamus, dicebat. Quamobrem Esdras inquit: Si autem tibi dederit Altissimus viuere, videbis post tertiam tubam, & relucere subito sol noctu, & dabis vocem noctu, quam non nouerunt multi: omnes autē audient vocem eius, & cahos fiet per loca multa, & ignis frequenter remittetur, & bestia agrestes transmigrabunt, & mulieres menstruata parient monstra, & in dulcibus aquis salsa inuenientur, & amici omnes semet ipsos expugnabunt: sicut ante obsidionem Hyerolimæ euenit ob internam ipsorum iudeorum seditionem in tria capita diuisam: unde vexabatur iudei, & ab ea parte seditiosorum, quæ extra ciuitatem persistebat, & etiam ab altera parte seditiosa, quæ in ipsa ciuitate reperiebatur: quapropter, vah seculo, inquit Esdras, & qui habitat in eo; quia appropinquat gladius, & contritio eorū; exurget gens cōtra gentē: concupiscet enim homo in ciuitatē ire, & nō poterit: propter superbiam enim eorū ciuitates turbantur. Vah ergo habitantibus in terrā de cæteris tubæ vocibus triū angelorū, qui erāt tuba canituri in vltimā ruinā Hyerolimæ, facta iā totius reliquæ iudeæ destructione.

G CAP.

**E**T quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi, & ascēdit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aer de fumo putei. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas; sicut habent potestatem scorpiones terræ: & præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem; nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus ipsorum; & dictum est illis ne occiderent eos; sed vt cruciarent mensibus quinque, & cruciatus eorum, vt cruciatus scorpionum cum percutit hominem. Et in diebus illis querent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Et similitudines locustarum similes equis paratis in præliū, & super capita earū tanquā coronæ similes auro: & facies earum tanquā facies hominum, & habebant capillos: sicut capillos mulierū, & dentes earum, sicut dentes leonum erant, & habebāt sicut loricas ferreas, & vox alarum earum; sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum: & habebant caudas similes scorpionū; & aculei erāt in caudis earum, & potestas earum nocere

nocere hominibus mensibus quinque: & habebant super se Regem Angelum abyssi, cui nomen hæbraicæ Abaddon: græcæ autem Apollion: & latine habens nomen exterminans. Væh vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo Væh post hæc. Et sextus Angelus tuba cecinit: & audiui vocem vnā ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei dicētem sexto Angelo, qui habebat tubam: solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate, & soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erāt in horā, & diem, & mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum, & numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audiui numerum eorum. Et ita vidi equos in visione: & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur, & ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & sulphure, quæ procedebant ex ore ipsorum, potestas enim equorum, in ore eorum est, & in caudis eorum: Nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita: & in his nocent. Et cœteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, vt non adorarent Demonia, & symulacra aurea, & argētea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ

quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, & non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à beneficiis suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

Et quintus Angelus tuba cecinit, &c.

**Q**VONIAM verò Deus vitur cælo, & natura, vt instrumento ad mundi gubernationem: Idcirco ob in temperiem aeris exccdentem, inquit nunc cecidisse de cælo stellam: sicut de omnibus alijs stellis cadentibus, atque cometis fieri videmus; quemadmodum fuit ille cometa, qui in forma gladij per spatium vnus anni supra Hyerusalem stare visus fuit: aliquando enim à sicca temperie aeris oritur magna copia fumi calidi, & sicci, quibus exhalationibus sursum deinde attractis, ceu quoddam velum inter nos, & solem interpomi, atque extendi videtur: Unde obscurari tunc videtur sol: Hoc autem totum cum sit opus naturæ est etiam opus intelligentiæ, quæ naturam non cognoscet em dirigit ad finem adipiscendum à Deo iam intellectum. Qua propter ea tempestate, propter angustiam loci veluti ex cætro, ac puteo abyssi locustarum pestis oriens, propagata est, quæ omnes illi, qui in ipsa Iudea de fornicationibus, & de operibus manuum suarum pœnitentiam non egerunt, afflicti fuerunt: quod genus animalium, morbique pestiferi, saepe in terra datum fuisse à Deo, pro hominum flagello, legitur in sacris literis. Harum verò locustarum figuram explicans inquit, & similitudines locustarum similes equis paratis in prælium.

Quoniam

Quoniam ergo appropinquat gladius, & ignis. Vah vnus abyt, & ecce alia duo veniunt ad huc Vah. Unde in sono sexti Angeli soluantur quatuor Angeli alligati in flumine Euphrate ob destructionem Hyerusalem in tempus, & horam constitutam à Deo inferendam. Quapropter audiuit Iohannes vocem vnã ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei: ex quo altare capite superiori, sumpsit Angelus de igne illius, & misit in terram: Exiit ergo ignis ab ira Dei, & deuorauit fundamenta terræ, & peccatores quasi stramen incensum, vt dixit Esdras. Soluti itaque post quæ fuerunt quatuor Angeli, statim apparuit ingens exercitus militum, quorum viribus dirimi debet ipsa Hyerusalem: ideo inquit se vidisse equos in visione, & de ore ipsorum procedere ignem, sulphur, & fumum, quibus plagis occisa fuit tertia pars hominum: Unde, & capita eorum, capita leonum dicta sunt, & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas hyacinthinas, & sulphureas: ij enim sunt illi spiritus missi à Domino, qui circundare, & coangustare vallo Hyerolimam debent, atque victoriam deinde reportare in virtute gladij exeuntis ex ore Dei. Quamobrem sicut malis fumis, & vaporibus ex puteo abyssi, ob fornicationem eorum ad Deum ascendentes, permisit Dominus diuersa animalium genera in perniciem ipsorum, qui pœnitentiam non egerunt de homicidijs: ita etiam ab ipso sole iustitiæ necandos esse eos constitutum fuit sulphure, igne, & fumo, qui procedebat ab ore equorum, supra quos erat gens robusta, habens hæc de causa loricas igneas, hyacinthinas, & sulphureas, quo genere armorum interfecti sunt illi, qui non habebant signum

Dei

Dei in frontibus ipsorum. Unde statim secuta est desolatio totius civitatis, & tandem ipsius templi, ut in septimo sigillo factum fuit, cum ibi consumatur principium mysterij totius mundi. Venient itaque dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, dictum fuit in Evangelio. Quamobrem cum videritis ab exercitu circumdari Hierosolimam, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio eius, ut audiimus in Evangelio. Idcirco auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, ut habetur cap. VIII. Isaia: Unde in sequenti hoc capite statim praedicitur ultimum ipsius templi excidium.

## CAP. X.

**E**T vidi alium Angelum fortem descendentem de caelo amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat, ut sol, & pedes eius, tanquam columna ignis; & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: & clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit, & cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas, & cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, & ego scripturus eram: & audiui vocem de caelo dicentem mihi, signa quae locuta sunt septem

ptem tonitrua, & noli ea scribere. Et Angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, levavit manum suam ad caelum, & iuravit per viventem in secula seculorum, qui creavit caelum, & ea, quae in eo sunt; & terram, & ea, quae in ea sunt; & mare, & ea, quae in eo sunt; quia tempus non erit amplius; sed in diebus vocis septimi Angeli, cum coeperit tuba canere, consumabitur mysterium Dei, sicut euangelizavit per servos suos prophetas; & audiui vocem de caelo iterum loquentem mecum, & dicentem, vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram. Et abii ad Angelum dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum: sed in ore tuo erit dulce tanquam mel, & accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce. Et cum deuorasssem eum, amaricatus est venter meus, & dixit mihi oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.

Et vidi alium Angelum fortem, &c.

**E**CCE primus, & novissimus venit nunc in nubibus, in destructionem ultimam ipsius Hierusalem, ut Iohanni per Angelum Iesu Christi nunc significatur, qui hac de causa fortis, & amictus nube dicitur, & iris in capite eius,

eius, & facies eius, ut sol, & pedes eius tanquam columna ignis: igne enim à sole ipsius iustitiæ, ut glorificetur filius eius, consumada est cum Hierosolima ipsa, terra omnis, & mare propter mala cogitamenta, & cruciamenta ipsorum, quibus incipient cruciari. Quapropter Angelus, fortis in quo iudicia Dei, ut etiam cap. primo inspectum fuit impressa sunt deferens librum apertum, ut cap. V. inspeximus omnia complectendo, posuit pedem suum dexterum supra mare, & sinistrum supra terram, & clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit, & cum clamasset locuta sunt septem tonitrua voces suas, & ego scripturus eram, & audiui vocem de cælo dicentem mihi, signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere: Unde, & ecce vidi, & video quod non possum enarrare, ut lib. IIII. Esdræ dictum fuit de claritate gloriæ excelsæ Dei. Quamobrem Paulus raptus in cælum vidit ea, quæ non licet homini loqui: & levando deinde Angelus, cui subicitur terra, & mare, manus suas in cælum, quod tempus non erit amplius; sed in sono septimæ tubæ consumabitur mysterium Hierusalem, ut vaticinatum fuit à prophetis, iuravit iuramento inuiolabili, cum supra viuentem in secula seculorum, & per opera ipsius traditum fuerit. Abraham namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iuravit per semetipsum, ut scripsit Paulus ad Hebræos cap. V. Idcirco recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per te metipsum dicens multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli, ut habetur in Exodo cap. XXXII. Interpositum itaque est iuramentum per res immobiles, quibus impossibile

possibile est mentiri Deum. Quamobrem, & audiui postea vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem, vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram. Accepit itaque Iohannes librum apertum à manu Angeli, & deuoravit illum, ut ei præceptum fuit, ob cuius libris, ac spiritus prophetiæ Dei celerrimum aduentum, atque discessum deuoravit hanc diuinam infusionem, cuius suavissima voluptas ictu oculi tantum degustari à nobis valet: Vnde cum in eodem instanti accedere, ac recedere à nobis videatur, dicitur tantum in ore dulce, ut mel: Idcirco mel sub lingua eius, dictum fuit de sapientia in cantica à Salom. Id enim quod tempori subicitur, ut sunt mortalia omnia, cum immortalibus in cælum degentibus, ubi non est tempus, sed sola immortalitas, non possunt, nisi extra tempus, & in instanti se iuicem osculari. Unde volumen hoc, volans erat maledictio, quæ egrediebatur super faciem uniuersæ terræ: in libro enim scripto intus, & foris scriptæ erant lamentationes, & carmè, & vœh, ut inquit Ezechiel cap. II. Idcirco inquit Iohannes, & cū deuorassem illum, fecit amaricari ventrem meum: Unde Ezechiel postquam comedit volumen illud, abiit amarus in indignatione spiritus sui, ut cap. II. dictum fuit. Cum verò in libro à Iohanne accepto, atque deuorato, inscripta sit non solum destructio Hierosolimæ nunc futura: sed etiã reliquum totum mysterium Asiæ, & mundi: Idcirco postquam hunc spiritum prophetiæ accepit, dictum ei fuit, oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis. Nam cum tres destructiones, ac tria Dei iudicia, ab eadem causa, quæ fuit occi-

sio Agni, pendeant: in eadem etiam animi exstasi, ac in eodem libro signato septem sigillis, continentur, & reuelata fuerunt Iohanni, à quo iterum prædictura sunt: scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri posthac dictum fuit cap. primo. Quapropter Iohannes accepit hunc librum, non à patre, nõ clausum, vt fecit filius; sed apertum, & ab Angelo Iesu Christi, ob quem Agnum clausus, & apertus iam fuit in mente diuina: Idcirco, & significauit mittens per Angelum suum seruo suo Iohanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi: Cum enim intellectus corpori coniunctus nõ valeat omnino coniungi cū forma sua diuina, nisi separatur à sensu: idcirco nemo viuentium in hoc mundo vidit Deum in pulchritudine propria, & forma sua, neque etiam videre posse certò scimus: Postquam enim Adam assumpsit de ligno scientiæ boni, & mali, priuatus fuit hac diuina pace: vnde eiectus fuit ex paradiso voluptatis. Quamobrem in igne, vel per Angelos formatos speciebus sublimaribus, Deus hoc pacto semper in nube apparuit suis prophetis: Unde in Daniele legitur. Ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea, & aperiens os meum locutus sum, & misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit, ecce ego dedi verba mea in ore tuo, vt in Hieremia scriptum est: semper enim antequam spiritu prophetiæ agerentur propheta, super eos manus, & verbum Domini factum hoc pacto prius fuit. Quapropter in Isaia cap. VI. dictum fuit, & volauit ad me vnus de sephin, & in manu eius calculus forcipe tulerat de altare, & tetigit os meum, & dixit, ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, &

pecca-

peccatum tuum mundabitur: Esdra etiam quando hæc lucerna intellectus, & spiritus sancti in cor eius fuit accensa, datus fuit ad potadum calix plenus aqua, color autem eius sicut ignis, in cuius Angelici cibi fortitudine ambulauit Elias quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vt cap. XVIII. lib. III, Reg. habetur. Tandem etiam iys, quibus non per visionem vel per somnium vel per enigmata, & figuras: sed palam viderunt Deum, tamen facie, & similitudine humana assumpta, ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum loquebatur Dominus ad eos. Unde Iacob cū luctatus esset cum Domino humanam speciem assumpto, dixit propter hanc familiaritatem habitam, & vidi Dominum facie ad faciem, vt cap. XXXII. Gen. dictum fuit: facies enim Domini semper præcessit Moysen. Nam faciem propriam ipsius Domini incomprehensibilem Moyses videre non potuit: Non enim videbit me homo, & viuet dicit Dominus Exodi cap. XXXIII. si enim cæli cælorum Deum capere non possunt quo pacto hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, & intelligentiam comprehendere poterunt? Unde Paulo cum splendor Dei fulgens ante inaccessibilem gloriam throni eius oblatus fuisset, semiuuius relictus fuit: idcirco cum transibit gloria mea, ponam te in foramine petra, & protegam dextera mea donec transeam: tollamque manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris, vt habetur cap. XXXIII, Exodi: post mortem ergo libri tantum aperiendi sunt; Tunc enim liber apertus est, qui est vita. Ideo Iohannes cap. III, inquit scimus cum ap-

H 2 parue-

*paruerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut  
est.*

## CAP. XI.

**E**T datus est mihi calamus similis virgæ: & di-  
ctum est mihi surge, & metire templum Dei  
& altare, & adorantes in eo; atrium autem,  
quod est foris templum, eiice foras, & ne metiaris  
illud: quoniam datum est gentibus, & ciuitatem  
sanctam calcabunt mensibus quadraginta duo-  
bus: & dabo duobus testibus meis, & propheta-  
bunt diebus mille ducentis sexaginta amicti faccis.  
Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspe-  
ctu Domini terræ stâtes. Et si quis voluerit eos no-  
cere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimi-  
cos eorum, & si quis voluerit eos lædere; sic oportet  
eum occidi. Hi habent potestatem claudendi  
cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: &  
potestatem habent super aquas convertendi eas  
in sanguinem, & percutere terram omni plaga quo-  
tiscunque voluerint; & cum finierint testimo-  
nium suum, bestia quæ ascendit de abyssu, faciet  
aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet  
eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis  
magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, &  
Egyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est;  
& videbunt de tribubus, & populis, & linguis, &  
genti-

gentibus corpora eorum per tres dies, & dimi-  
dium: & corpora eorum non sinent poni in monu-  
mentis: & inhabitantes terram gaudebunt super  
illos, & iocundabuntur: & munera mittent inui-  
cem: quoniam hi, duo prophætæ cruciauerunt  
eos, qui habitabant super terram. Et post dies tres,  
& dimidium, spiritus vitæ à domino intrauit in  
eos. Et steterunt super pedes suos, & timor mag-  
nus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audie-  
runt vocem magnam de cælo, dicentem eis, ascendi-  
te huc. Et ascenderunt in cælum in nube: & vi-  
derunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus  
est terramotus magnus: & decima pars ciuitatis  
cecidit, & occisa sunt in terramotu hominum no-  
mina septem millia: & reliqui in timorem sunt mis-  
si, & dederunt gloriam Deo cæli. Vah secundum  
abiit, & ecce Vah tertium veniet cito, & septi-  
mus Angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces ma-  
gnæ in cælo dicentes factum est regnum huius  
mundi Domini nostri, & Christi eius, & regna-  
bunt in secula seculorum Amen. Et viginti qua-  
tuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedi-  
bus suis ceciderunt in facies suas, & adorauerunt  
Deum dicentes, gratias agimus tibi Domine De-  
us noster omnipotens, qui es, & qui eras, & qui  
uenturus es: quia accepisti virtutem tuam ma-  
gnam, & regnasti. Et iratæ sunt gentes, & aduenit  
iratura, & tempus mortuorum iudicari, & redde-



re mercedem seruis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis, & magnis, & exterminandi eos: qui corrumperunt terram. Et apertum est templum Dei in caelo, & visa est arca testamenti eius, in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.

- Et datus est mihi calamus similis virgæ, & c.

**C**VM vltimum excidium Hyerusalem, vnde excidium Asiæ, & mundi ortum est, debeat esse principium nouæ Hyerusalem reedificandæ: idcirco sicut Iohanni datus fuit liber ad deuorandum propter prophetiam destructionis Hyerusalem, & Asiæ, & mundi; ita etiam nunc ob prophetiam tabernaculi Dauid, quod decidit reedificandi; vt requirant ceteri hominum Deum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen eius, datur calamus similis virgæ in manu eius, vt hoc calamo mensuræ funiculoque lineo, quem iam præciderat Dominus, vt dissolueret germanitatem inter Iudam, & Israel, metiretur tēplum Dei. Deo enim verbo suo omnia componendo, mensuratum fuit templum, & mons Sion à Iohāne, virga, & digito potentie Dei. Unde digitus Dei est hic dixerunt malefici de virga Moysi cap. VIII. Exodi: tulerat enim Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, vt cap. XX. Numeri dictum fuit cuius summitate Angelus Domini tangendo carnes, & panes azimos ascendit ignis de petra, & carnes, & azimos panes consumpsit, vt habetur cap. VI. iudicum. Idcirco paulum mel-

lis gustauit Ionathas in summitate virgæ, cap. III. lib. primo dictum fuit. Hoc itaque spiritu Dei surgere datum fuit Iohanni, & deinde metiri templum Dei, quæ directio animæ in Deum cum futura esset in Moysi, dictum ei fuit, sume hanc virgam in manu tua, in qua facturus es signa cap. III. Exodi. Quoniam ergo templi excidium, quod vltimo loco, & factum fuit, & nunc vaticinatur, debet esse principium semperiterni templi, quod statim apertum visum est in caelo: Idcirco Iohanni, quem oportet iterum prophetare gentibus, & linguis multis, datus fuit calamus similis virgæ: Idcirco ob ciuitatis ædificium templumque eius reedificandum, surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo dictum eidem fuit: Unde virgam vigilantem ego video, quia vigilabo, inquit Dominus super verbo meo, vt faciam illud, vt dictum fuit in Hyeremia: propterea hæc dicit Dominus reuertar ad Hyerusalem in misericordijs: & domus mea ædificabitur in ea, & per pendiculum extendetur super Hyerusalem. Adhuc clama dicens, hæc dicit Dominus exercituum, adhuc affluent ciuitates mea bonis: & consolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Hyerusalem, vt dictum fuit in Zacharia cap. primo: venient itaque ab Aquilone, & Austro, & ab Oriente, & Occidente, & accumbent in regno Dei: & ecce sunt nouissimi, qui erant primi, & sunt primi, qui erant nouissimi: Non enim potuit seculum sustinere eos, qui in eo creandi sunt in vnum: Sed vt matrix mulieris per tempus parit, neque decem in vnum dare potest, vt habetur apud Esdram lib. III. Quamobrem propter electum populum venturum dictum fuit, surge, & metire tēplum: & etiam adorantes

adorantes in eo obgentem, & tribus illas, quæ ut obserua-  
rent legitima sua, dederunt consilium hoc ut dereliqueret  
multitudinem gentium, & proficiscerentur in ulteriorem  
regionem, ubi nunquam inhabitauit genus humanum, ut di-  
xit Esdras cap. X. XII. lib. III. Cum ergo propter istos, &  
similes ys factum sit regnum cælorum: Idcirco atriu, quod  
est foris templum, eyce foras, & ne metiaris illud: Unde cū  
videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes prophe-  
tas in regno Dei: vos autem expelli foras, dictum fuit in  
Euangelio. Non intrabit enim in eo aliquod coinquinatum,  
aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti  
sunt in libro vitæ. Agni: Nam foris sunt Canes, & Venefi-  
cij, & Impudicij, Homicidæ, & Idolis seruietes, & omnis,  
qui amat, & facit mendacium, ut inquit Iohannes. Et ciui-  
tatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.  
Hoc enim tempus faciendi data fuit potestas ipsæ bestie. In  
secunda vero parte fit sermo de duobus prophetis, & de po-  
tentia, & morte ipsorum, de ys etiam, quæ post mortem illo-  
rum euenerunt testimonium redditur: & prophetabunt er-  
go diebus mille ducentis sexaginta: Nam vsque ad hoc tem-  
pus mulieri virtutum plenæ paratus fuit locus in solitudine à  
Deo: quamobrem ob diuinum lumen accensum in animis,  
& lampadibus ipsorum, dicti sunt hi duo prophete, duo can-  
delabra aurea lucentia in terra, & duæ oliuæ: vnde y sunt  
duæ oliuæ super candelabrum aureum, vna à dextris lam-  
padis existens, super caput candelabri, altera à sinistris  
eius: y verò sunt duo filij olei splendoris, qui assunt domi-  
natori vniuersæ terre, ut dictu fuit in Zacharia cap. III.

Quicumque

Quicumque enim spiritu Dei aguntur, y filij Dei sunt. Obe-  
diens ergo eis homines, cælum, & elementa perseveranter;  
quo ad vsque destructi sint omnes illi, secundum prophetiam  
enunciata, qui idola coluerunt: Idcirco potentia illis data  
erit, ut inquit nunc Iohannes, claudendi cælum, ne pluat die-  
bus prophetia ipsorum, & cōuertendi aquas in sanguinem:  
factus est enim mare sanguis tanquam mortui, ac terram  
percutere omni plaga, ut prophetia præsens Iohannis à prin-  
cipio vsque ad finem diuinitus testatur. y postquam vaticin-  
ando absoluerint testimonium suum interfecti erunt à Sy-  
nagoga Satana, qui de abyssu ascendit. Unde iterum vitæ  
spiritum accipientes à Deo in cælum ascendere visi sunt ab  
ys, qui eos occiderunt: & in illa hora, in qua iam y duo filij  
olei splendoris occisi fuerunt, factus est terræ motus magnus,  
quo in tempore, illi correspondenti, ingressi sunt Idumei in  
ipsam Hierusalem, cuius domus ruendo, & viros necando  
templum totum foris sanguine tinctum fuit: Unde decima  
pars Ciuitatis cecidit, ac vere septem millia hominum in eo  
terramotu, ab Idumeis occisi inuenti sunt, & reliqui horro-  
re obseffi fuerunt, & Iudæorum sacerdotes Iesus, & Ana-  
nus summo eum gaudio interfecti fuerunt in medio Ciuitatis,  
& ibi inhumati relictī. Uah ergo secundum abijt; idcirco  
ob vltimam templi destructionem, quæ deinde post terræ mo-  
tum secuta cito fuit, inquit, & ecce Uah tertium veniet ci-  
to, & tunc septimus Angelus tuba cecinit, & statim splendi-  
dum Hierusalem templum, ob ignem intra ipsum, fato quo-  
dam proietum funditus vna cū Ciuitate ipsa ex alto cader-  
do, ut literarum monumenta testantur, aduentum gentium  
I expectatio-

expectationis, in nube, & virtute magna, experientia etiam ipsa, comprouabit. Quamobrem facta statim fuerunt voces magna in caelo dicentes, factum est regnum huius mundi Domini Nostri Iesu Christi: destructio enim Hierusalem principium fuit mundi excidij, atque aduentus regni Dei: cum ergo morte Agni Dei secuta sit salus ista omnis creaturae ipsius in caelo, & in terra; ideo vigintiquatuor seniores gratias ei egerunt: Venit enim tempus vindictae sanctorum, & etiam tempus reddendi mercedem seruis suis prophetis: Unde templum Dei apertum est in caelo, & visa est arca testamenti in templo eius. Quapropter ut iam visum est, Iohanni datus fuit calamus ad metiendum templum, cuius excidio aliud de nouo aperiendum erat à caelo in terram: idcirco Esdras lib. III. cap. x. inquit, vides quoniam sanctificatio nostra deserta effecta est, & altare nostrum demolitum est, & templum nostrum destructum est, & psalterium nostrum humiliatum est, & hymnus conticuit, & exultatio nostra dissoluta est, et lumen candelabri nostri extinctum est, & arca testamenti nostri direpta est, & sancta nostra contaminata sunt, & nomen, quod inuocatum est super nos, profane profanatum est, & liberi nostri contumeliâ passi sunt, & sacerdotes nostri successi sunt, & virgines nostrae coinquinatae sunt, & mulieres nostrae vim passae sunt, & quod maius signaculum Sion: quoniam resignata est de gloria suam, & tradita est in manibus eorum, qui nos oderunt. Quamobrem transferam me dicit Dominus apud eundem, ad alias gentes: & dabo eis nomen meum: ideo tradam domus vestras populo venienti, qui me non audientes credunt.

Succendit

Succendit ergo ignem in Sion Dominus, & deuorauit fundamenta eius, & denigrata est super carbones, facies eius, ut in Hieremia dictum fuit: delebo itaque Hierusalem; sicut deleri solent tabula: delens vertam, & ducam crebrius stylum super faciem eius, dimittam verò reliquias hereditatis meae, & tradam eos in manus inimicorum eius eruntque, in vastitatem, & in rapinam cunctis aduersarijs suis; eo quod fecerint malum coram me, ut cap. XXI. lib. III. Regum habetur: idcirco totam hanc destructionem vaticinans Ezech. cap. v. tertiam partem capillorum suorum, iussu Dei, igne combussit in medio ciuitatis: tertiam verò concidit gladio in circuitu eius: tertiam deinde in ventum differxit, & gladio nudauit post eos. Unde tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia pars tui in gladio cader in circuitu tuo: tertiam verò partem tui in omnem ventum dispergam, dicit Dominus. Qui enim longè est, peste morietur, qui autem prope gladio corruet, & qui relictus fuerit, & obsessus fame morietur, & complebo indignationem meam in eis dicit Dominus in Ezechiele cap. vi. Idcirco residuum erucae comedit locusta, & residuum locustae comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo, ut habet loel cap. primo. Quamobrem dimittam in vos famem bestias pessimas usque ad interitionem, & pestilentiam, & sanguis transibit super te, & gladium inducam super te: unde dixit Dominus in Esdra, domus vestra deserta est, proieciam vos, sicut ventus stipulam: quoniam mandatum meum neglexerunt, & quod malum est, coram me fecerunt. Quamobrem Moyses ad vnguem vaticinans exterminium hoc,

I 2 inquit

inquit. Dominus in eum, visitabo vos velociter in aegritate,  
 & ardore qui conficiat oculos vestros, & animas vestras con-  
 sumat, & immittam in vos bestias agri, quae consumant vos,  
 & comedetis carnes filiorum vestrorum, & filiarum ve-  
 strarum, & destruam excelsa vestra, & simulacra confrin-  
 gam: vos dispergā in gentes, & euaginabo post vos gladium,  
 & qui de vobis remanserint dabo pauorem in cordibus eo-  
 rum in regionibus hostium, & terrebit eos sonitus folij volan-  
 tis: & ita fugient quasi gladio nullo persequente, vt capit.  
 XXVI. *Leuitici habetur: nam verum prophetam, qui in  
 nomine patris sui venit, praedictum eis à Moysse, interfece-  
 runt, quando venit in thalamo suo: fictorem vero summorum  
 qui in nomine suo venturus est, vt auertat eos, per tumorem  
 animi à Deo, qui eduxit eos de terra Egypti, à quo cauendū  
 esse illis testatus est Moyses expectando nō immerito ipsius  
 maledictiones omnes super eos venerunt; sicut hodierno die  
 comprobatur. Ita vt vere relicta sit filia Sion, vt vmbra cu-  
 lum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario: vt enim ve-  
 stigium aliquod inexpugnabilis loci diuina voluntate solum  
 expugnati relinqueretur, placuit Tito Domus omnes, Vi-  
 cos, & Ciuitatem totam destruere: Turres autem illas for-  
 tissimas superstites tantum remanere. Offeretis itaque fru-  
 stra sacrificium vestrum, & cum extendetis manus vestras,  
 & oblationem vestram auertam oculos meos à vobis, vt in  
 Isaia cap. primo habetur.*

CAP.

## CAP. XII.

**E**T signum magnum apparuit in caelo: mulier  
 amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in ca-  
 pite eius corona stellarū duodecim, & in vit-  
 ro habens, & clamabat parturiens, & cruciatur, vt  
 pariat. Et visum est aliud signum in caelo, & ecce  
 draco magnus rufus habens capita septem, & cor-  
 na decem, & in capitibus eius diademata septē,  
 & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum  
 caeli, & misit eas in terrā, & Draco stetit ante mu-  
 lierem, quae erat paritura, vt cum peperisset, filiū  
 eius deuoraret. Et peperit filium masculum, qui  
 rectorus erat omnes gentes in virga ferrea, & ra-  
 ptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius,  
 & mulier fugit in solitudinem, vbi habebat lo-  
 cum paratum à Deo, vt ibi pascat eam diebus  
 mille ducentis sexaginta. Et factum est praelium  
 magnum in caelo; Michael, & Angeli eius praelia-  
 bantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & An-  
 geli eius, & non valuerunt; neque locus inuentus  
 est eorum amplius in caelo. Et proiectus est Dra-  
 co ille magnus, serpens antiquus, qui vocabatur  
 Diabolus, & Satanus, qui seducit vniuersum or-  
 bem: & proiectus est in terram, & Angeli eius cū  
 illo missi sunt. Et audiui vocem magnam in caelo  
 dicentem nunc facta est salus, & virtus, & regnum

Dei

Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est, accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte, & ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui: & non dilexerunt animas suas usque ad mortem: propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Væh terræ, & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Et postquam vidit Draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum, & datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen: ut eam faceret trahi à flumine. Et audiuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbit flumen, quod misit Draco de ore suo. Et iratus est Draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi. Et stetit supra arenam maris,

Et signum magnum apparuit in cœlo, &c.

**P**OST QUAM in destructione Hierusalem, perfecta, & adimpleta fuit prima pars mysterij Dei: idcirco

eo de secunda nunc agendum est, in qua continetur destructio totius Asia. Quapropter sicut cap. primo. præostensum fuit uniuersum iudicium, una cum bello, & victoria inde adempta, & deinde sigillatim explicatum fuit, quantum spectabat ad primam eius partem: ita etiam nunc toto mysterio secundæ partis, ut visum fuit in cœlo, præostenso, postea sigillatim declaratur in terra eo modo fieri, quo iam à principio factum fuit in cœlo: propter ergo nouam Hierusalem è cœlo descensuram visum est templum apertum in cœlo: Unde Regnum huius mundi Domini Nostri factum est. Signum itaque magnum apparuit in cœlo: Hæc enim est noua Ciuitas, quæ post veteris Hierusalem excidium, emicuit: factum enim excidio veteris templi, statim apertum fuit templum in cœlo: Idcirco vidit nunc Iohannes aliud signum magnum in cœlo, mulierem amictam sole, & luna sub pedibus eius, Quapropter Esdræ, postquam discessit ab eo mulier illa lugens, quam Sion esse, atque lugere ob filium eius interfectum in ruina ipsius Hierusalem, declaratum fuit ab Angelo lib. IIII. Subito apparuit Ciuitas de fundamentis magnis edificari: quamobrem nunc iam speciem mulieris non vides: sed apparuit Ciuitas tibi edificari, dixit Angelus Esdræ, cui etiam antequam reuelata esset dictum fuit, ut veniret in agrum, ubi non est domus, aut fundamentum edificij: non enim poterat opus edificij hominis sustineri in loco, ubi altissimi Ciuitas ostendenda erat: Unde dictum fuit Esdræ ingredi, & vide splendorem, & magnitudinem edificij, quantum capax est tibi visus oculorum videre: Unde ostensum ei fuisse claritatem gloriæ Altissimi, & pulchritudinem

nem decoris eius intellexit ab Angelo: Idcirco hæc eadem excelsa ciuitas ostensa fuit Iohāni in cælo, ut mulier amicta sole, & coronata duodecim stellis, & luna sub pedibus eius, de qua inquit, & in utero habens clamabat parturientis, & & cruciabat, ut pareret: sterilis enim diu fuit: quoniam in ea adhuc futura, & pollicita antiquis nouæ legis, holocausta oblata non erant in templo Dei: idcirco ob hanc etiā sterilitatem mulier illa lugebat apud Esdras: sterilis enim dixit ei Angelus fuit triginta annis; propterea quod erant anni triginta, quando non erat adhuc in ea oblatio oblata, & factum est post annos triginta ædificauit Salomon Ciuitatem, & obtulit oblationes: tunc fuit quando peperit sterilis filium: Quamobrem immaculata, & candida hæc sponsa filij Dei, quæ ob crucem, & mortem sponsi, verum eius sanguinem in oblationem Deo obtulit, cruciabat, ut inquit Iohannes, ut pareret; peperit itaque antequam veniret partus eius, masculinum, qui rectorus erat mundum in virga ferrea; sicut à Deo constitutum fuit, ad cuius thronum fuit raptus. Unde claritate Dei, tanquam stola candidissima, illi strata nobilis ista mulier dicitur hæc noua Ciuitas sole amicta, cuius Altissimis radijs cum eclipsanda sit luna: ideo sub pedibus eius subijcitur: ex his enim insignibus, ab insidiatore suis ereptis, Draconis, ac serpentis caput conterendo, seipsam exornare debet. Quamobrem cum de ijs omnibus bestijs, ob gloriam sanctorum triumphare debeat: idcirco coronata duodecim stellis splendida luce fulget: Quoniam ergo per sanguinem Agni nomina beatorum in libro vitæ iam scripta, confirmata nunc etiam sunt, tempore Dei è cælo in

lo in nobis descendo, in eo columna facta est anima nostra à Dei pulchritudine amplexata: Idcirco hoc fulgentissimo sole amicta atque grauida anima nostra præ lætitia cruciatur, ut pareret: genus enim altum atque diuinum, ceu fulgentes radij ab ea erumpere debebant in tenebris. Sed quia amatores eius aduersarios habere debebant: sicut etiam ipse Agnus Dei in mundo habuit: Ideo hanc contrarietatem raticinaturus Iohānes; hinc, & visum est, inquit, aliud signum in cælo, & ecce Draco, de cuius amplo imperio loquens, dixit illum habere septem capita, & cornua decem. Quapropter ob ipsam Asiam huic serpenti atque Draconi subiectam, cauda sua trahere in terram tertiam partem stellarum dictum fuit. Quoniam ergo serpens iste antiquus calcari tandem debet à calcaneo mulieris, cui ipse insidiatur: idcirco hanc inimicitiam, ex qua excidium Draconis, & seminis eius oriendum est in cælo, ut constitutum à principio fuit à mente diuina, videns Iohannes inquit, & Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum pareret, filium eius deuoraret: peperit autem filium, qui rectorus erat mundum in virga ferrea: Unde qui vicerit, & custodierit opera mea usque in finem, dabo illi potestatem super gentes, & regat eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur; sicut & ego accepi à patre meo. Qui ergo habet aures audiat quid spiritus dicat ecclesijs. Raptus itaque fuit ad Deum filius; quem peperit mulier antequam pareret: Unde septem lampades dixit lucere ante thronum Dei, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram ob candidum, & virginum partum mulieris; quamobrem nouum templum è cælo

lo refluxit in anima nostra, in qua ciuitate templum non est  
 inuentum: quia Dominus templum illius erat: idcirco vidi  
 Agnum stantem habentem capita septem, & oculos septē,  
 qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram dictum  
 fuit cap. V. mulier vero fugit in solitudinem, vbi habet locū  
 paratum à Deo: Unde Iohannes scribens septem ecclesijs,  
 poenitentiam illis agendam esse significatum fuit. Hinc præ  
 lium deinde ortum vidit Iohānes inter Draconem, qui Dia  
 bolus antiquus est, & inter Angelos Dei, à quibus postquam  
 in terram è caelo deiectus fuit, latantur Angeli, & creatu  
 ra omnis in caelis, qui vic erunt eum propter sanguinem A  
 gni: ob mortem enim Christi creatura omnis in terra, & in  
 caelo perfectionem suam accepit: idcirco cap. V. postquam  
 Agnus accepit librum, atque illum aperuit, statim viginti  
 quatuor seniores, & quatuor animalia, & Angeli ipsi ceci  
 derunt coram Agno, in facies suas coronasque ante thronū  
 Dei deponentes, à quo illas ob mortem filij eius acceperunt,  
 cecinerunt canticum nouum, & dixerunt, redemisti nos Deo  
 sanguine tuo: Quamobrem etiam nunc postquam facta fuit  
 deiectio Diaboli in terra ob sanguinem Agni, reddentes gra  
 tias Deo, dixerunt nunc facta est salus nostra. Quia proie  
 ctus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos  
 ante conspectum Dei nostri die, & nocte propter cor mali  
 gnum, & corpus peccati, quod baiulauit Adam, & per eū  
 omnes homines, in quibus sensus absorptus non fuit ab ani  
 ma: eiecto enim Adam è Paradiso in terram, eiectum etiā  
 fuit hoc cor malignum, & serpens antiquus, qui est homo vè  
 tus, qui persecutus semper deinde est mulierem virtutis, &

ante diluuium, quando homines edebant, & bibebant, &  
 etiam in deserto morsu tentare perexit Habreos, quousque  
 occiderent filium Dei, & sanctos eius, & postremo iterum  
 Asiaticos ipsos per Mahumet, qui etiam delendi erunt à  
 semine Iacob, et David, cui à mare vsque ad mare, & à flu  
 minibus vsque ad fines terræ, potestas data fuit. Uehita  
 que terræ, & mari: quia descendit Diabolus ad vos habens  
 iram magnam, expugnari tamē cito debet, à peregrina mu  
 liere, quæ in solitudinem fugit: sciens ergo est Draco, quod  
 modicum tempus regnandi habet: per tempus enim, & tem  
 pora, & dimidium temporis complebuntur vniuersa hæc, vè  
 à viro induto lineis, qui stabat super aquas fluminis iuratus  
 fuit per viuentem in æternum in Daniele cap. XII. Unde  
 originem excidij Draconis ostendens, inquit, persecutus est  
 mulierem, quæ peperit filium masculum, ob virtutem Agni  
 occisi: Mulieri verò data sunt duæ alæ Aquilæ magnæ,  
 quibus aufugeret, & se tueretur in locum, & solitudinem  
 suam à facie serpentis, per tempus, & tempora, & dimidiū  
 temporis: Ideo ut ibi pascat diebus mille ducentis sexaginta:  
 locum paratum habuit à Deo. Unde inquit, & misit serpens  
 ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam  
 faceret trahi à flumine, & adiuuat terra mulierem, & ape  
 ruit terra os suum, & absorbit flumen, quod misit Draco  
 de ore suo. Vaticinaturus autem Iohannes regnum, & lo  
 cū, vbi tandem stādo residere debet Draco iste, inquit prius,  
 & iratus est Draco in mulierem: & abijt facere prælium  
 cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mādata Dei, &  
 habent testimonium Iesu Christi. Nam occupando non so  
 lum

lum. *Asiam, sed etiam Africam, & tandem (proh christia-  
 norum dolor) Byzantium ipsum Europæ caput usurpare da-  
 tum ei fuit. Quamobrem hanc imperij sedem hodie Otto-  
 manæ familia prædicens ultimo Iohannes, inquit, & stetit  
 supra arenam maris, cuius magni maris viribus, & aquis,  
 quæ sicut Draco Romanam mulierem ad se trahere, atque  
 rapere, dum supra arenam maris residens, ex ore suo aqua,  
 tanquam flumen misit, ut hanc candidissimam mulierem se-  
 cum traheret: Mulieri verò in desertum maximi pontificis  
 Pij V. confugiendi ala duæ Austriacæ Aquilæ datæ fue-  
 runt, quo diuino Austro flante terra adiunxit mulierem, iux-  
 ta quã scindentem mare, aperuit terra os suum, & absor-  
 buit flumen, & classem, quam misit Draco de ore potentia  
 suæ. Deus ergo ab Austro veniet, ut dictum fuit in Haba-  
 cuch cap. III, & fluuios scindet terra. Uiderunt te, & do-  
 luerunt montes, gurges aquarum transijt, dedit abyssus vo-  
 cem suam, Altitudo manus suas leuauit, sol, & luna stete-  
 runt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in  
 splendoris fulgurantis hastæ tuæ, in tremitu conculcabis  
 terram, & in furore opstupescies gentes. Egressus es in sa-  
 lutem populi tui, in salutem cum Christo tuo: percussisti ca-  
 put de domo impij: denudasti fundamentum eius usque ad  
 collum: maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius ve-  
 nientibus, ut turbo ad dispergendum me, exultatio eorū: sicut  
 eius, qui deuorat pauperem in abscondito. Viam fecisti in  
 mari equis tuis in luto aquarum multarū, ut habetur apud  
 Esdram. Ab aquilane ergo tibi delicias, sibi verò malum re-  
 pente adduxit, ob quem Boream scriptum fuit in Ehyere-*  
 mia

*mia cap. IIII. Congregamini, & ingrediamur ciuitates  
 munitas, leuate signum in Sion. Confortamini, nolite stare:  
 quia malum ego adduco ab Aquilone, & cōtrictionem ma-  
 gnā. Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se leua-  
 uit: Egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in soli-  
 tudinem. Ecce itaque, ut in Isaiā habetur, in increpatione  
 mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum. Et  
 glorificabit me bestia agri, Dracones, et structiones: quia de  
 di in deserto aquas flumina in inuio. Quamobrē iratus Dra-  
 co in mulierem abiit facere prælium cum reliquis de semine  
 eius, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu Christi, cui-  
 us habent testimonium, in cuius virtute Iohannes verbo Dei  
 perhibet nunc testimonium totius orientis destructionis.*

## CAP. XIII.

**E**T vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiarum. Et bestia quam vidi similis erat Pardo, & pedes eius sicut pedes Ursi, & os eius, sicut os Leonis, & dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam. Et vidi vnū de capitibus suis, quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. Et admirata est vniuersa terra post bestiam. Et adorauerunt Draconem, qui dedit potestatem bestia, & adorauerunt bestiam dicentes: Quis similis bestia, & quis pot-



erit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna, & blasphemiam, & data est ei potestas facere menses quadraginta duos. Et aperuit os suū in blasphemias ad Deum blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius: & eos, qui in cœlo habitant. Et est datum illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem. Et adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mūdi. Si quis habet aurem audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia, & fides sanctorum. Et vidi aliam bestiā ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni. Et loquebatur sicut Draco. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius: & fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Et fecit signa magna: vt etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit. Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ, & faciet, vt quicumque non adorauerit imaginem

ginem bestiæ, occidantur. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis: & ne quis possit emere, aut vendere: nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est, qui habet intellectum computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.

Et vidi de mari bestiam ascendentem, &c.

**Q**UONIAM Draco, postquā in terram eiectus fuit ab Angelis, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum, atque tandem residendo stetit supra arenam maris: Idcirco ob ipsius Draconis imperiū ad multas aquas inquit statim, & vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua ipsius decem diademata, & super capita ipsius nomina blasphemiarum, & bestia, quam vidi, similis erat Pardo, & pedes eius, vt pedes Ursi, & os eius sicut os Leonis: Unde etiā Daniel cap. VII. de his bestijs loquens inquit se vidisse illas ascendisse de mari magno, dum quatuor venti in eo pugnabant. Ista sunt tria capita Aquilæ Romani imperij Esdræ reuelata. Nam cum idem imperium, cui Roma residenti tributata fuit omnis terra, diuidi deberet in tria Maumethorum imperia, reuelatum fuit Esdræ per tria capita, & non per duo decim alas succedentes vnā post vnā, vt de imperio, quod

quod Romæ alam vnã post vnã habuit, ab eodem visum fuit. Quapropter ob Bizanti occupationem in quo iam stetit Romani imperij sedes, tantum vnã, inter bestias tres, alas Aquilæ Romanæ habere vidit Daniel. Iohannes itaq; non diuisim, vt Daniel, vidit in visione tria capita Aquilæ, & imperia bestia, quæ super multas aquas, veneno Draconis impietates Aquilæ recapitulare debebant in nouissimis diebus eius. Sed coniunctim in vnã, & eadem bestia, per cuius diuersas partes vaticinatur prima omnia eiusdem Draconis regna: quia tamen vnus Draconis tripartitum regnum est, ob id dixit hanc bestiam, quæ ascendit de mari, esse similem Pardo, & pedes eius, vt pedes Ursi, & os eius, sicut os Leonis, quæ tria sunt imperia eidẽ addicta Draconi: huius enim veneno infectis bestijs omnibus, illius characterem acceperunt Reges terræ: Et quamuis prima ista tria regna, eiusdem Draconis, à cuius spiritu vitam trahunt, bestia vnã, ac regnum vnũ dici possit; tamen quia imperia ista tria inter se sunt distincta: Idcirco coniunctim vaticinatur ea Iohannes. Diuisim verò Daniel, cui per distinctas illas bestias, quas è mari ascendisse vidit, reuelata fuerunt: quapropter ob potentiam, & qualitates ipsorũ vnã, inquit, quasi læna erat, alia similis Urso, & tertia quasi Pardus. Sed quoniam post tres istas bestias, quartã etiam vidit Daniel terribilem, atque mirabilem, dentes ferreos habentem, atque etiam decem cornua: Ideo Iohanni hæc etiam quartã bestia à primã stirpe sua non diuisa: sed sicut alie tres, vt partes in suo toto reuelatæ fuerunt. Quapropter in eadem bestia, in qua iam, & tria illa regna, & septem capita visa fuerunt

fuerunt, inspexit decem cornua propter decem Reges, qui in vltimis diebus supra terram imperare debent, cuius quartã bestia terribilis nimis interpretationem habere desiderauit præcipuè Daniel ab Angelo assistente coram antiquo dierum: Idcirco omnia, vt a Daniele desideratum fuit, quæ ad hanc quartã bestiam, & cornua eius decem solum pertinebant, interpretata præcipuè fuerunt. Quamobrem Esdræ dictum fuit Aquila, quã vidisti ascendentem de mari, hoc est regnum, quod visum est in visione Danieli fratri tuo, sed non est illi interpretatum: quoniam ego nunc tibi interpretor. Cum itaque Daniel diligenter discere tantum voluerit de quartã bestia: quod cum maius omnibus alijs debeat esse regnum, velut ferrum visum fuit in somnis Nabuchodonasor Regis: idcirco Esdræ interpretatio Aquilæ imperij Romani facta est per duodecim alas, & Reges successuros inter se vnũ post vnũ in hoc regno areo Aquila, quam occupando imperium Alexãdri Magni, alas super vniuersam terram expandere, vidit Esdras. Potentissimus enim omnium vsque ad hanc diem fuit Octavius. At Iohanni perfectã reuelatio facta fuit trium capitum Aquilæ Esdræ. Cum præter decem cornua, septem etiam capita in eadem bestia ei ostensa fuerunt, cuius destructionem tum externã à sectatoribus Agni inferendam, tum internam vaticinatur Iohãnes, vt etiam in destructione Hierusalem sigillatim factum fuisse vidimus. Idcirco ob ingentes has dissensiones pedum, & digitorum partem esterã figuli, & partem ferream, quam vidit in somno Nabuchodonasor, regnum diuisum significare dixit Daniel. Ob id etiam Esdras vidit octo

pennacula contraria in Aquila regno, atque non de capitibus; sed de medio corporis eius vocem exire audiuit: Unde apud Daniele eodem modo de quarta bestia actum fuisse videtur: idcirco præter cornua decem, vidit etiã cornu aliud paruulum ortum de medio eorum in bestia, & tria de cornibus primis auulsa sunt à facie eius. Quapropter dictum ei fuit, & alius Rex consurget post decem Reges, & potentior erit prioribus, & Reges alios humiliabit. De hoc itaque cornu paruulo orto in medio decem cornuum loquens etiam Iohannes ultimo loco, inquit, & vidi de terra bestiam ascendentem habentem cornua duo similia Agno, & loquebatur sicut Draco: Unde inquit Daniel, & ecce oculi quasi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia: per cornua enim similia Agno non regna intelliguntur: sicut de decem cornibus bestie dictum fuit à Iohanne, & etiam à Daniele in reuelatione ei facta imperij magni Alexãdri cap. VIII. sed potentia loquendi, & signa faciendi ad seducendas gentes, & ad inducendum cor hominum significata fuit: Quapropter oculi in cornu isto visi sunt hominis: vnde dicta sunt duo ista cornua similia Agno habenti cornua septem, & oculos septem, qui verè sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Idcirco falsus iste propheta, quem ad excecandum cor hominis permittet Deus in terram significatus fuit cap. primo, non ex vero auro, sed ex apparenti, & falso, de cuius potentia ei concessa ad periclitandas gentes, inquit, & fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum, & seducet habitantes in terra propter signa, quæ sunt illi data facere in conspectu

bestiæ

bestiæ, dicens habitantibus in terram, vt faciant imaginem bestie, quæ habet plagam gladij, & vixit, & datum est illi, vt daret spiritum imagini bestie, & loquatur imago illius bestie, cui os loquens magna datum fuisse, iam dictum fuit. Quamobrem, & putabit, inquit Daniel, quod possit mutare tempora, & leges. Cum autem in vltimis diebus hoc debeat esse falsi prophete maximum regnum super ipsam terram: ideo vltimo loco de hac bestia locutus fuit Iohannes: sicut etiam fecit Daniel cap. VII: qui postquã meminuit de hac bestia, vidit deinde aduentum Dei inquit, & præualebat donec venit antiquus dierum, & iudiciũ dedit sanctis excelsi: & quamuis potentiam suã traditurus sit falsus iste propheta in fauorem bestie, faciens, vt quicumque non adorauerit imaginem bestie, aut in dextera sua nõ acceperit characterem bestie, occidatur, factus tamen in fine potentior contra bestiam irruet, & tria de eius cornibus, & Regibus humiliabit, vt inquit Daniel; tria enim de cornibus bestie auulsa sunt postquam cornu hoc ortum vidit Daniel de medio aliorum cornuum bestie: idcirco à principio paruulam, in fine verò magnam accepisse potentiam visum fuit. De qua bestia loquens Iohannes inquit, & vidi aliam bestiam ascendisse de terra, quæ cum regnare debeat super omnem terrã in fine seculi: idcirco sicut Danieli præter tres illas bestias vnã cum quarta reuelatus fuit, postremo falsus iste propheta: ita, & Iohanni præter bestiam illam similem pardos Leonis habentem, & pedes Ursi è terra ascendendo se obtulit iste pseudo propheta, qui cum Agno etiam Dei, vt bestia omnis, aduersari debeat, non in merito loquebatur

vt Draco: Unde numerus omnis bestia in camino ardenti, in quo pedes Aurichalcho similes visi sunt cap. primo cruciandus erit in perpetuum. Quoniam verò decem cornua Draconis, decem Reges sunt, qui regnum non dum acceperunt: sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam: ob id quarta bestia dicta fuit à Daniele hac sequens bestia ad tripartitam bestiã decem cornuum. Cum itaque eidem Draconi omnes inmitantur, quarta bestia erit, & tamen de tribus bestijs erit: Sunt enim omnes de semine vnius bestie serpentis antiqui, qui ab Angelis è caelo in terram proiectus fuit. Unde ob visionem Danielis, in qua præter quartam bestiam decem cornuum vidit bestias tres, comprehendendo Angelus etiam quartã bestiam in regno triũ bestiarum, quæ tria sunt capita Aquilæ dixit Esdræ, hoc est regnum visum in visione Danieli. Sed non est illi interpretatum: quoniam ego nunc tibi interpretor. Propter ista itaque tria capita Aquilæ, & tres bestias Danielis, quæ Iohannis tres bestie sunt, dixit Leo ad Aquilã, nonne tu es, qui superasti de quatuor animalibus, quæ fecerant regnare in seculo meo, & vt per ea veniret finis temporum eorum: ideo propter quartam bestiã dictum etiam fuit cap. XI. lib. III. Esdræ, & quartus veniens deuicit omnia animalia, quæ trãsierunt: licet enim in regno Aquilæ non sint visa ultra duo decim alas, nisi tria capita, tamen iterũ consumpto toto corpore Aquilæ solui debet Satanas de carcere suo. Unde & incundabit eos, quoad vsque veniet finis iudicij dictum fuit in Esdræ: exient enim, vt habet Iohannes ex ore Draconis, & bestia, & falsi propheta ad seducendas gentes spiritus tres immundi

immundi, cuius falsi propheta imperium tandem adepturũ post reliquas præcedentes bestias, perfecta notitia, & prophetia reuelata fuit Iohanni, & ipsi Danieli loco iam adducto. Fusus itaque vltimæ bestie: sicut etiam totius mysterij, & iudicij Dei in consumatione mundi reuelatio facta fuit Iohanni, ex cuius sacrosanctis verbis hauriri vndique potest perfecta cognitio reconditi mysterij trium bestiarum, & septem capitum, & decem cornuum, & falsi propheta, totiusque Draconis, qui principium mediũ, & finis omnis bestie est, & quo pacto etiam omnis iste numerus bestie, & à suis fornicarijs, & ab Agno destrui debeat, hinc patere potest: Hac de causa huic bestie datum fuit, vt inquit Iohãnes bellum facere cum sanctis, & vincere eos: indurabo enim cor Pharaonis, ac persequentur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius cap. XXIII. Exodi: Nam istorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni: sicut scripta sunt in eo nomina eorum, qui à principio fidem thesaurizzauerunt, neque mortem gustarunt à natiuitate sua: isti itaque signati fuerunt solum in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi: vt enim auferretur à nobis infirma, et mortalis natura, quæ simul cũ Christo crucifixa fuit, occisio Agni præfixa fuit à principio in mente Diuina: hinc postea iudicij ipsius vniuersi secutum est in gladio oris Dei: Idcirco tibi soli peccavi, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, cecinit Dauid. Hinc ergo est patientia sanctorum, qui in captiuitatem duxerit in captiuitatem vader, & qui in gladio occiderit oportet gladio occidi. Cum verò ex numero bestie, & partium eius intelliga-

intelligatur non solum numerus Regum: Unde Daniel numerum Regum accepit à diuersis partibus statua visa in somnio à Rege Babylonis: sed etiam numerus annorum, ut interpretatum fuit in somnio Regis Egypti à Iosepho: idcirco, qui habet intellectum computet numerum bestia: numerus enim, ut inquit Iohannes, hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex. Abbreviatus est ergo in fine numerus dierum eius: in hoc enim conuenit numerus omnis iudicij Dei, à prophetis prænunciatus. Quapropter mulier habet locum paratum à Deo, ut ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta: alitur enim in locum suum per tempus, & tempora, & dimidium temporis cap. XII. Unde cum posita fuerit abhominatio in desolationem dies mille ducentis nonaginta Beatus qui expectat dies mille trecentis triginta quinque, ut dixit Daniel cap. XX. qui enim aufert periculum illo tempore tunc se custodiuit, qui in periculum inciderunt, hi sunt, qui habent opera, & fidem ad fortissimum. Scito ergo quoniam magis beatificati sunt, qui derelicti super eos, qui mortui sunt, ut habetur apud Esdram lib. III. Ne pereat itaque omnis caro à veneno Draconis propagando abbreviati fuerunt in fine propter electos dies eius. Dies verò, & hora, & momenta temporum scire non est datum nobis. Metire ergo tu, inquit Esdras tempus in semetipso, & erit cum videris, quando transferit pars quaedam signorum, quae praedicta sunt, tunc intelliges: quoniam ipsum est tempus, in quo Altissimus incipiet visitare seculum, quod ab eo factum est: hoc autem erit, quando impletus fuerit numerus seminum in nobis: in statera enim ponderauit seculum, & mensura

men-

mensurauit tempora, & numero numerauit tempora, & non commouit, nec excitauit vsque dum impleatur praedicta mensura: Unde in dimidio dierum meorum ne reuoces me de generatione in generationem anni tui Psalm. 101. Bestia itaque, quae fuit, & non est, & de septem est, & ipsa est octaua, Manus ergo hominis inter calcaneum, & manum, aliud noli querere dixit Angelus Esdrae lib. IIII. Quando enim dolores circuant matricem mulieris iam appropinquat partus, Unde magnam iram habet Draconis spiritus, & semen eius sciens quod modicum tempus habet, ut dictum fuit in Iohanne cap. XII. Qui ergo habet intellectum mysterij à Deo, computet numerum bestiae, & tunc intelliget quid spiritus sapientiae testatus sit ecclesijs, quae sunt in Asia de imperio eius: numerus enim bestiae, & nominis eius, qui numerus hominis est. bbb. tunc enim tria, quae omnia Dei iudicia sunt, perfecta mensura, & numero undique completa erunt.

## CAP. XIII.

ET vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de caelo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitruui magni: & vocem, quam audiui, sicut citharædorum citarizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo

& nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnū quocunque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo, & Agno: & in ore eorum non est inuentum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli habentē euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: dicens magna voce, timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora iudicii eius, & adorete eum qui fecit cœlum, & terram, mare, & fontes aquarum. Et alius Angelus secutus est dicens, cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Et Tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna, si quis adorauerit bestiã, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calicem iræ ipsius, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante cōspectum Agni, & fumus tormentorum eorum descendet in secula seculorum: nec habent requiem die, ac nocte, & qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius. Hic

o. 10. 21. 8

patien-

patientia sanctorum, est qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu. Et audiui vocem de cœlo, dicentem mihi, scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iã dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorū sequuntur illos. Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem. Mitte falcem tuam, & mete; quia venit hora, vt metatur; quoniam aruit messis terræ. Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suã in terram, & demessuit eam. Et alius Angelus exiuit de templo, quod est in cœlo, habens & ipse falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem supra ignem, & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens. Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt vuae eius. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus est locus extra Ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frons equorum per stadia mille sextentia.

M Et vidi,

Et vidi, & ecce Agnus, &c.

**T**ESTIMONIVM nunc perhibet Iohannes iudicij Dei in destructione orientis, reuelatum ei à Iesu Christo per Angelum suum. Tale verò excidium cū ab origine mundi à mente diuina cōceptum fuerit: idcirco omnes illius plagæ nunc prædicuntur. Diuiditur itaque hoc caput in duas præcipue partes: primo enim enumerantur omnes Angeli, qui ad hanc vniuersam Asiæ afflictionem inuenti sunt: sicut etiam ante excidium Hierosolimæ factum fuisse vidimus. Secundo loquitur de vindicta illata adorantibus bestiam, aut characterem nominis eius accipientibus. Inquit ergo primo: & vidi, & ecce Agnus, & cum eo stabant centum quadraginta quatuor millia, qui omnes habebant scriptum in fronte nomen eius, & nomen patris eius. Unde cap. III. dictum fuit: Scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, & nomen meum nouum: Unde isti sequuntur Agnum quocunque ierit, quorum voces assimilantur vocibus multarum aquarū: per suos enim Angelos mundo loqui solet Deus: idcirco septem Angelis cap. VIII. data fuerunt septem tubæ: Unde cap. primo, & vox illius, vt vox multarum aquarum dictum fuit, & ergo, & cantabant canticum nouum, & nemo poterat dicere canticū, nisi illa centum quadraginta millia, qui empti sunt de terra: & enim soli sunt, qui eo candore, quo in terra, veluti primitiæ Dei floruerunt, eodem etiam ante thronum Dei, cœlestia distillantia myrrham primam, suauissimum spirant

rant odorem. Agnus ergo creatus ex ipsa virginitate, virgines etiam delitiæ eius absque aliqua labe cum sensu contracta, sequuntur ipsum quousque ierit: Unde in cytharis suis cytharizantes dicunt canticum ante thronum Dei, quod nemo, nisi ipsa in cælo dicere poterat. Quapropter hoc candore allectus Angelus dixit Esdræ, cuius pudicitiam cognouit Deus à iuuentute: Tu enim beatus es præ multis, & vocatus es apud Altissimum, sicut, & pauci: idcirco iudicium meum modo appropinquat, quod non omnibus demonstravi, nisi tibi, & tibi similibus paucis. Quamobrem prædicitur nunc interitus adorantium Demonia, & sculptilia aurea, aut argentea, aut lapidea: idcirco iam iam iudicij hora appropinquante in confirmatione verbi Dei, statim ab altero Angelo incipiunt ostendi plagæ, & primo prænunciatur excidium inde futurum magnæ Babylonis, dicens: Cecidit cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes: Unde voce magna dictū deinde fuit de alijs plagis, quibus hæc vltima facta est: si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calicem iræ ipsius: quia calix in manu Domini vino meri plenus mixto, vt habetur in Psalm. LXXIII. Idcirco cruciabitur in conspectu Angelorum, & ante conspectum Agni sulphure, & igne, qui nocte, & die nō extinguetur: Unde in sempiternum ascendet fumus eius: à generatione in generationem desolabitur. Quapropter continuè cū fieri hoc debeat tēpore infinito, dictum deinde fuit: Nec habent requiē die, & nocte, qui adorauerunt bestiam, & ima-

ginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius: valix enim aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes; ideo comotæ sunt, cap. L I. Hyeremia. Quamobrem cum messis iam aruerit, à simile filio hominis super nubem sedente missa est falx suam in terram, & messis facta est: Unde cum maturæ etiã sint vna terra, septimus Angelus misit falcem suam acutã in terram, & vindemiauit botros vineæ terra. Hic itaque patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu. Idcirco qui habet aures audiat quid spiritus dicat ecclesys. Mare positum est in spatioso loco, vt esset altum, & immensum, erit autem ei introitus in angusto loco positus, vt esset similis fluminibus. Quis ergo, dixit Angelus Esdræ voluerit ingredi mare, & videre eum, vel dominari eius, si non transierit angustum, in latitudinem quo modo venire poterit? Amplius ciuitas est ædificata, & posita in loco campestri, est autem plena omnium bonorum, introitus eius angustus, & in præcipiti positus, vt esset à dextris quidẽ ignis, à sinistris aqua alta; semita autem est vna sola inter eas posita, hoc est inter ignem, & aquam, vt non capiat semita nisi solummodo vestigium hominis: si autẽ dabitur ciuitas homini in hereditatẽ, si nõquã antepositũ periculũ pertrãserit, quo modo accipiet hereditatem suam? Et audiui ergo, inquit Iohannes vocẽ de cælo dicentem mihi scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos: Nam vt glorificaretur Dominus in Pharaone datum iam fuit Draconi vincere supra arenam maris eos, qui habebãt

testimo-

testimonium Iesu Christi. Hic itaque patientia sanctorum est, qua habita iustificantur iusti ante conspectum omnipotentis Dei vestiti Byssino splendenti: interfectores verò ipsorum ante Angelos Dei cruciantur igne, & sulphure, vnde duplicate duplicia secundum opera eorum: in poculo, quo miscuerunt vobis, miscete illis duplum: hi enim sunt, qui vnam quam pœnitentiam non egerunt de operibus manuum suarum. Quapropter fumus etiam tormentorum eorum ascendet in seculorum secula. Hoc enim est certamen, quod certare debet homo in hac arena: Nam in manu forti, & brachio excelso eduxit Dominus populum suum ex Egypto in ciuitatem fluentem lac, & mel. Quamobrem ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum: & in medio eorum erat iuuenis statura excelsus, & eminentior omnibus alijs, & singulis capitibus ipsorum imponebat coronas. Hi enim sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen Dei, modo coronantur, & accipiunt palmas à filio Dei, quem cõfessi sunt in hoc seculo. Ecce ergo in nube candida, & super nubem similem filio hominis, qui coronã in capite habebat. Per duas itaque nunc messes, vt etiam cap. X. destructionem Hyerusalem Angelus in nube prædixit, vaticinatur ruinã totius oriẽtis: Unde apprehendi debet bestia, & falsus propheta, & ambo in igne mitti debent: cæteri verò gladio sunt trucidandi cap. XVIII. Quapropter due fient messes terræ à duabus falcibus missis in terram, à quibus, & messis terræ, & vindemia vineæ facta est: Unde maxima, & vniuersali ista truci-



trucidatione futura colentium bestiam, & imaginem eius, tota etiam Asia casura est. Quamobrem missi sunt in lacum ira Dei, & calcatus est lacus extra civitatem, & exiit sanguis vsque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta. Quapropter effuso sanguine à gladio vsque ad ventrem, transibunt constantes, ut dixit Esdras lib. IIII. vsque Babylonem, & exterent eam, & conuenient ad ipsam, & circuibunt eam, & effundent sydus, & omnem iram super eam, & subibit puluis, & fumus vsque in caelum, & omnes in circuitu lugebunt eam, & qui sub ea remanserint seruient his, qui exterruerunt. Confortamini itaque hodie, & nolite timere: nec pauceatis conspectum multitudinis huius: quia Dominus Deus noster, qui in medio vestri est, ductor est, pro vobis contra aduersarios dimicabit, & non dimittet, nec relinquet: sed eruet vos de periculo. Nonne scriptum est: Steterunt sol, & luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Quis est ergo homo formidolosus, & corde pauido? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum: sicut ipse timore perterritus est. Vos autem persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis: persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro, viriliterque agendo transibitis Iordanem istum, & omnem locum, quem calcauerit vestigium pedis vestri vobis tradam; sicut locutus sum Moysi, dicit Dominus. Nec est enim alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi: sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris: Quae est enim alia gens sic incluta, ut habeat ceremonias

nias iustaque iudicia, & vniuersam legem propositam à Deo. Non quia ergo cunctas gentes, dicit vobis Moyses numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos: sed quia dilexit vos Deus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris daturus omnem terram, quam eis pollicitus est. In verbo itaque Domini, cuius ista est pugna, laxando rete, & concluderitis piscium multitudinem copiosam, & super numeros etiam Babylonis leuabitis signum in vindictam sanguinis effusi ob testimonium Dei, & filij eius: idcirco haec magna strages in perniciem animae, & corporis à duobus Angelis per duas messes significata fuit; quorum vnus, ob occisionem Agni, qui templi claritas, & fulgor est, alter verò ob sanguinem sanctorum in testimonium etiam Dei effusum, exierunt tum de templo, tum de altari, vbi ascendit odor orationum sanctorum. Cum ergo oporteat haec fieri, sed non dum est finis: idcirco quantum impietatis generauit vsque nunc, & generat usque cum veniat ara, gramen seminis mali seminatum in corde Adam, aestimari potest, quando secatae fuerint stitice, quarum non est numerus, quam magnam aream incipiant facere. Sinite ergo exsicari messem: quia multa est, operarij verò pauci, & tunc exhibent Angeli, & separabunt ex medio iustos.

## CAP. XV.

**E**T vidi aliud signum in caelo magnum, & mirabile: Angelos septem habentes plagas septem nouissimas; quoniam in illis consummata est ira Dei: Et vidi tanquam mare vitreum mistum

stum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius stantes supra mare vitreum, habentes cytharas Dei, & cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum Agni, dicentes; magna, & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iustæ, & veræ sunt viæ tuæ Domine Rex seculorum. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? Quia solus pius es; quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in cōspectu tuo: quoniam iudicia tua manifesta sunt. Et posthæc vidi, & ecce apertum est templū tabernaculi testimonii in cœlo; & exierunt septem Angeli, habentes septem plagas, de templo; vestiti lapide mundo, & candido, & præcincti circa pectora Zonis aureis. Et vnum de quatuor animalibus, dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in secula seculorum. Et impletum est templum Dei fumo à maiestate Dei, & de virtute eius; & nemo poterat introire in templum, donec consumarentur septem plagæ septem Angelorum.

Et vidi aliud signum in cœlo magnum, c.

**I**N hac verò parte septem aliæ plagæ prædicuntur, quibus in consumatione mundi tandem omnis ira Dei, quæ iam effundi cœpit in septem plagis Hierusalem, & Asia, consumitur. Ad ultimam itaque partem mysterij, & iudicij Dei

ij Dei vaticinandam accedens, à septem plagis inferendis initium prophetiæ huius auspicatur: Quapropter inquit: Et aliud signum, & mirabile. Angelos septem habentes plagas septem nouissimas: quoniam in illis consumata est ira Dei, iam à principio concepta ob occisionem Agni, & sanctorum eius. A qua cum ista omnia iudicia, & plagæ euenturæ essent, Agnus tanquam occisus in medio quatuor animalium septem oculos, & septem cornua habere visus fuit cap. V. Quamobrem, & vidi, inquit, tanquam mare vitreum mistū igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum. Qui enim vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur: sicut, & ego accepi à patre meo: ut dixit Iohannes cap. II. Unde supra hoc mare statim etiam vidit eos, qui vicerunt bestiam: Quapropter ob septem plagas, quibus est consumanda ira Dei, vidit Iohannes mare, tanquam vitreum mistum igne. Idcirco cap. III. hoc etiam mare vidit Iohannes ceu vitreum ante conspectum sedis Dei; à cuius fulguribus, & tonitruis, & vocibus tanquam vas figuli, confractum fuit. Idcirco mare fluctuat de profundo, & fluctus eius disturbabuntur, & pisces eius à facie Domini, & à gloria virtutis eius: Unde ob hanc victoriã exultantes Angeli, & omnes sectatores Agni, qui vicerunt spiritus tres immundos; qui exierunt de ore Draconis, & de ore bestie, & de ore pseudo prophetæ; vidit Iohannes stantes supra mare vitreum habentes cytharas Dei, & cantantes canticum Moyſi, & canticum Agni, in quo à Moyſe præ-

N dicitur

dicitur hoc mysterium Dei, cuius potentia, cum sit actus omnis; ideo: Magna, & mirabilia sūt opera tua Domine Deus omnipotens. Quapropter cum ita factum esse nunc videant; sicut eis re: elatum etiam fuit, dixerunt simul cum Moysse: Vera, & iusta sunt viae tuae; sicut ob vindictam sanguinis sanctorum nunc factam, atque iam à prophetis praedictam: Vera, & iusta via eius sole clarius fulget: idcirco verè Rex dicitur seculorum; cum solus Agnus regnare debeat cum sanctis suis: quis ergo propter tuum imperium atque vindictam non timebit te Domine, & magnificabit? Omnes enim gentes, & linguae ex omni parte mundi, & gentibus, ut vidit Iohannes cap. VII. adorare debent ipsum Deum. Unde ob hanc inauditam Dei, & Agni clementiam, & salutem factam, dixerunt: Quoniam solus pius es: venient ergo omnes gentes, & adorabunt in conspectu tuo: quoniam iudicia tua manifesta sunt: haec etiam eadem tria iudicia in gloria beatorum futura, clara esse videntes quatuor illa animalia cap. IIII. gratias reddentes Agno, & Deo, dixerunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus omnipotens Deus, qui est, qui erat, & qui venturus est. At Heu, Heu, Heu, in perniciè damnatorum omnium vaticinatus fuit Hyeremias cap. IIII. à Domino enim, & principium, & finis huius mysterij pendet: idcirco honorem, & gloriam ei reddebant, ut etiam cap. V. factū fuisse vidimus. Quamobrem seniores illi coronas suas accipientes, ante thronum Dei ponebant: cum ab eo omnia iam creata, etiam facta fuerint: idcirco: Dignus es Domine accipere virtutem, gloriam, honorem, benedictionem, fortitudinem, sapientiam, & diuinitatem, cap. V. audiuimus: in-

quit

quit verò deinde: Et posthac vidi templum apertum tabernaculi testimonij in caelo, ex quo exierunt septem Angeli vestiti lapide mundo: ex templo enim, quod regnum Dei est ex lapide mundo, & cado conflatum, ceu fulgentes radij, emicarunt splendentes Angeli: Deus enim sol, & templum illorum erat. Aperuit itaque Dominus thesaurum suum, & protulit vasa irae suae, ut in Hyeremia habetur cap. prim. & vñ de quatuor animalibus dedit septem phialas aureas, plenas iracundiae Dei, septem Angelis praecinctis circa pectora Zonis aureis: Unde Christi imago cap. primo visa fuit accincta Zona aurea ad mamillas: Nam amore sanctorum, quos suo lacte nutriuit, hac fortitudine praecinxit se. Acceperunt ergo gloria nitentes Angeli, septem phialas plenas irae Dei, ab vno ex quatuor animalibus, quae obista tria iudicia in consumatione totius irae Dei, requiem non habebant die, ac nocte, ut dictum fuit cap. V. Data est enim per illa potestas super quatuor partes terrae, interficere gladio, fame, morte, & bestijs terrae. Idcirco vocatus Iohannes cap. VI. ab illis quatuor animalibus, vidit ex primis libri clausi sigillis apertis, exiisse victoriam, gladium, iustitiam, & mortem. Quamobrem ob incomprehensibilem gloriam Iudicij Dei, quae tunc in vindictam effusi sanguinis in testimonium Dei mirum immodum refulxit coram Angelis suis, repletum est templum fumo à maiestate Dei, & de virtute eius: Idcirco nemo poterat introire in templum, donec consumarentur septem plagae septem Angelorum: Unde cum daturus esset in destructionem Hyerusalem septem Angelis tubas septem, in quarum sono ipsa cadere debebat, factum fuit ob iudicium

N 2 dicium

*dicium hoc gloria fulgentissimū silentium in cælo quasi media hora cap. V III. Quamobrem aperuit nubes tabernaculum, & testimonio, & gloria Domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fæderis, nube aperiente omnia, & maiestate Dei conruscante, vt dictum fuit in fine Exodi. Nam plena erit domus à maiestate eius, & ea, quæ sub ipso erāt, replebant templum, vt cap. VI. Isaia habetur: ideo cap. V II. Paralipomenon sacerdotes etiam non poterant ingredi templum Domini: solum enim immense pulchritudinis Deus à semetipso amatur, & intelligitur, quantum amari, & intelligi potest: gloria ergo, & maiestas eius coram Angelis nouo quodam modo supra virtutes ipsorum micare potest: stella enim nō sunt mundæ in conspectu Dei, vt in Iob habetur. Unde coram Deo stare exercitum Angelorum cum tremore dictum fuit ab Esdra lib. III. Repleto itaque templo hoc Dei in accessibili splendore, nemo poterat micantem, & in comprehensibilem gloriam, & virtutem eius intueri.*

## CAP. XVI.

**E**T audiui vocem magnam de templo dicentem septem Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram. Et abiit primus Angelus, & effudit phialam suam in terrā, & factum est vulnus sæuū, & pessimū in homines, qui habebant characterem bestię: & in eos, qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius. Et secundus Angelus

gelus effudit phialam suam in mare & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima viuens mortua est in mari. Et Tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum: & factus est sanguis. Et audiui Angelum aquarum dicentem: Iustus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hoc iudicasti: quia sanguinem sanctorum, & prophetarum effuderunt: & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt. Et audiui alterum dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens vera, & iusta iudicia tua. Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines, & igni: & æstuauerant homines æstu magno, & blasphemauerunt nomē Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiā, vt darent illi gloriā. Et quintus Angelus effudit phialam suā super sedem bestię, & factum est regnum eius tenebrosum, & commandauerunt linguas suas præ dolore; & blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & sic cauit aquam eius, vt præpararetur via Regibus ab ortu solis, & vidi de ore draconis, & de ore bestię, & de ore pseudo prophetæ exire spiritus tres immūdos in modum ranarum sunt enim spiritus Demoniorum facientes signa, & procedunt ad Reges

ad Reges totius terræ cōgregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei. Ecce venio sicut fur. Beatus, qui vigilat, et custodit vestimēta sua; ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hæbraice Armagedon. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno dicens: Factum est, & facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus est magnus, qualis nunquā fuit, ex quo homines fuerunt super terrā, talis terræ motus sic magnus. Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt. Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum: dare illi calicē viri indignationis iræ eius. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti. Et grande magna sicut talentum descendit de cœlo in homines, & blasphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.

Et audiui vocem magnam de templo, &c.

**E**CCE septem phialæ plene iræ Dei acceptæ à septem Angelis effunduntur in consumatione seculi, & rotius vini iræ Dei, quod mistū est mero in calicem iræ ipsius; ut in destructione orientis prædictum fuit cap. XIII. Unde ad iudicij Dei principium significandum datæ fuerunt septem

ptē Angelis septem tubæ in excidio Hyerusalem cap. VIII. Idcirco propter has septē plagas, quibus primo Hyerusalem, deinde Asia, tertio totus mundus dissoluendus erat: Corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, dictum fuit à Moysè cap. XXVI. leuitici. Conuertetur ergo seculum in antiquum silentiū diebus septem, ut in prioribus iudicijs: ita ut nemo derelinquatur, ut testatur Esdras lib. IIII. Audiui ergo vocem magnam de templo dicentem septem Angelis: Ite & effundite septem phialas super terram. Unde etiā in destructione Hyerusalem ante conspectum Dei, datæ fuerunt septem Angelis, tubæ septem, & antequam etiam fieret messis terræ, & vindemia vineæ, Agnus supra montem Sion stare visus fuit, & cum eo centū quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Quamobrem sicut reuelatio destructionis Hyerosolima, & Asia facta fuit Iohanni per Angelū missum à Iesu Christo: ita etiam ante hoc vltimum iudicium futurum, præesse auditur nunc vox magna, quæ de templo septem istis Angelis imperabat: Agnus enim simul cum diuersis Angelis, ad diuersa munera obeunda constitutis, propter suam inuisibilem maiestatem, venit semper in nubibus; sicut ex Apocalypsi Iesu Christi, in qua totum mysterium Dei significatum fuit, apparuit, cap. primo. Et abiit ergo primus Angelus, & effudit phialam suam in terram: Redarguenda enim tandem sunt impietates gentium, quæ tempestati appropinquauerunt propter mala cogitata eorum, & cruciamenta, quibus incipient cruciari, quæ assimilata sunt flammæ, & perdet eos sine labore per legem, quæ ignis  
assimila-

assimilata est. cap. XIII. lib. IIII. Esdra. Quoniam verò tempora initium habent manifestum in prodigijs, & virtutibus; & consumationes in actu, & signis: idcirco, & turbatio populorum, & bella inter easdem gentes, & signa in sole, & luna temporum appropinquatum, data fuerunt, ex quibus afflictionibus factum est vulnus seuum, & ardens in homines, qui habebant characterem bestiae, quorum etiam anima omnis mortua est in mari: Idcirco primus Angelus effudit phialam suam in terram: Secundus verò in mare; & factus est sanguis tanquam mortui: primo itaque praedixit exitum huius belli, atque exustionis: sicut etiam factum fuit cap. VI. & cap. XIII. dicendo cum de primo sigillo loqueretur: Et exiit vincens, ut vinceret: & hic bibit de vino irae Dei, dictum fuit ante caeteras plagas ipsius Asia: postea, quia hoc flagellum propagari etiam debet per vniuersam regionem magna Babylonis, effusa etiã fuit à tertio Angelo phiala irae Dei super fontes, & flumina, & factus est sanguis. In istis itaque es Domine, qui es, qui eras, & qui venturus es, qui iudicasti haec: qui sanguinem sanctorum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt. Cum ergo haec inspexissent Angeli, dixerunt: Vera, & iusta iudicia Domini reddere unicuique secundum opera sua. Quapropter sidera, & virtutes caelestes omnes naturã etiam ipsa irritãda erit contra eos, qui acceperunt characterem bestiae, aut sanguinem iustum effuderunt. Idcirco praedicuntur deinde signa alia antecedentia ipsum exitum, atque perniciem iam à principio inspectam, atque praedictam, quae tria antecedentia signa sunt ordinem inter se habentia. Quorum vnum

est

est magna aestas, à cuius ardentissima flamma affligendi, atque cruciandi sunt homines: Unde blasphemabunt Deum absque eo quod poenitentiam agant de operibus ipsorum. Postquam itaque quartus Angelus, ut affligeret aestu homines, effudit phialam suam in solem; Quintus etiam effudit phialam suam super sedem bestiae, & tunc ob excedentes fumos calidos, & siccos, sol non amplius dabit lumen suum. Quamobrem ingentissimo aestu, et afflictione facta dolores, & rixae inter ipsos excitabuntur: ob id, ut inquit Iohannes, Est factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas praedolore, & blasphemauerunt Deum caeli praedoloribus, & vulneribus suis. Idcirco Esdras lib. IIII. inquit: Et derelinquet vnusquisque in regione sua bellum suum, quod habet ad alterutrum, & colligetur in vnum multitudo innumerabilis: sicut volentes venire, & expugnare eum. Ecce itaque dies venient, quando incipiet Altissimus liberare eos, qui super terram sunt, & venient in excessu mentis super eos, qui inhabitant terram, & alij alios cogitabunt debellare: Ciuitas ciuitatem, & locus locum, & gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum. Quando ergo virtutes caelorum commouebuntur, & videbitur in seculo motio locorum, & populorum turbatio; tunc intelliges quoniam de his erat. Altissimus locutus à diebus, qui fuerunt ab initio: ut enim praegnant cum parit nono mense filium suum; appropinquante hora partus eius, ante horas duas, vel tres dolores circueunt ventrem eius, & prodeunte infante de ventre non tardabunt vno puncto: sic non morabuntur mala super terram, & seculum gemet, & dolores circueunt tenebunt

O

illud

illud, ut dixit Esdras. Quapropter, & ijs proprijs bestia doloribus, & vulneribus suis seuis, preparanda est ab ortu solis Regibus via, & etiã à siccitate aquarum: nam sextus Angelus effudit phialam suam in flumẽ magnum Euphratem, & sicabit aquas eius. Idcirco cap. VII. Angelus descendens ab ortu solis clamabat voce magna quatuor Angelis, quibus datũ est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quo ad vsque signemus seruos Dei in frontibus ipsorum. Quamobrem, & erit cum fient hæc bella, & dissensiones, & quando contingent signa iam ostensa, tunc inquit Esdras, reuelabitur filius Dei: ideo. Et ecce cõgregabatur multitudo hominum, quorũ non erat numerus de quatuor ventis cœli, ut debellarent hominẽ, qui ascenderat de mari: Unde post turbationes populorum nũc dictas, statim ad vltimum iudicium, & cœnam Dei Iohannes accessurus: Et vidi, inquit, de ore Draconis, & bestia, & falsi propheta exire, veluti Ranas spiritus tres immundos: sunt enim spiritus demoniorum facientes signa, & procedũt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei: Exhibet ergo Satanas de carcere suo, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est, sicut arena maris, & ascenderunt super latitudinem terræ, & circuiuerunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam, & tunc reuelabitur filius Dei per ignem, qui de cœlo descendet, cuius flatus, & spiritus flammæ deuorabit eos. Unde postquam Daniel, ob tres illos Reges humiliatos à falso propheta, vidit tria de cornibus primis auulsis à facie

à facie quartæ bestia, vidit etiam aduentum antiqui dierũ. Beatus ergo qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videat turpitudinem suam. Nam à principio creationis, gratia & luce diuina amicta, fulgebat pura nostra potentia intelligendi Deum, in quo, ceu in templo suo clarissimæ eius diuitiæ omnes sunt: at postquã serpenti paruit, tunc tenebris statim oppressa, auro & adeptæ luce sua, priuata fuit: Unde duce sensu homini viuere incipienti aperti fuerunt oculi, & tunc cognouerunt primi parentes paupertatem, & nuditatem ipsorum, ob quam à principio non erubescabant. Quamobrem Deum ambulantes ad meridiem amplius videre non poterant, & sic è Paradiso eiectus Adã mortalem tunicam assumpsit. Beatus ergo, qui lauando stolas suas in sanguine Agni, custodit vestimenta sua candida, ne nudus ambulet, & videat turpitudinem, & nuditatem suam. Quoniam ergo ob tempus pœnitentiæ agenda ante quamlibet destructionem vltimo futurã, dedit Deus signa magna, atque portenta: ob id etiam nunc ante vltimam ruinam mundi, præsens terræ motus magnæ Babylonis præcessit; ex quo & ipsa in tres partes diuisa fuit, & ciuitates gentium ceciderunt, & omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti: hoc significarunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus, & grando magna, quæ facta iam destructione Hierusalem, auditæ fuerunt in cœlo; cum propter idem peccatum, à quo Hierusalem, & Asia destructa fuit, mundus etiam iudicandus sit: Venit ergo Babylon magna in memoriam ante Deũ, dare illi calicem iræ indignationis iræ eius. Ecce ergo cibabo populum istum absinthio, & potum dabo

ei aquam fellis: nam sanguinem sanctorum iam bibere voluit. Exiit itaque vox de templo à throno, & dixit: Factum est, & facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terramotus, sicut cap. VI. Sigillo sexto predictum iam fuit: ipse enim dixit: Et facta sunt ista omnia, quæ à throno Dei iam dictum est procedere: solo enim intellectu Dei cælum in girum voluitur, atque omnia corpora, & partes, & affectiones partium cælo subiecta disponuntur. Idcirco impressiones aeris ante habitæ, quasi fato quodam, & lege ipsius naturæ concomitari inter se videntur. Quamobrem postquam quartus Angelus, ut affligeret æstu homines, effudit phialam suam, & iram Dei in solem; & quintus etiam Angelus, ob rixas excitandas, effudit phialam suam in sedem bestiarum: Unde ob eandem magnam æstatem præcedentem sextus Angelus effudit phialam suam in flumen Euphratis inducens aqua siccitatem: idcirco septimus Angelus effudit etiam phialam suam in aerem, & terramotus factus est non amplius huic similis auditus à maxima copia exhalationum ingentis æstatis, quam naturales etiam concedunt: Unde in terra, in mari, in fluminibus, & in omnibus elementis, partibusque ipsorum effundendo, influendus, excitandusque est æstus, sitis, vulnera, & mors. Unde gladio, fame, morte, & bestijs terræ affligendæ sunt quatuor partes terræ: idcirco Draco iterum cruciandus est igne perpetuo simul cum falso propheta, quem hac de causa duo cornua habere audimus. Aperuit ergo Dominus vasa furoris sui, & produxit ventos de thesauris suis: Unde & unusquisque Angelus vas interfectionis habet in manu sua: castra enim Dei sunt

sunt hæc. Effunde igitur super eos iram tuam, & furor iræ suæ comprehendet eos.

## CAP. XVII.

ET venit vnus de septem Angelis, qui habebat septem phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendā tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen scriptum, misterium Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ; & vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martirum Iesu. Et miratus sum cum viderem illam, admiratione magna. Et dixit mihi Angelus. Quare miraris? Ego dicā tibi sacramentum mulieris, & bestiarum, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem. Bestia quā vidisti, fuit & non est, & ascensura est de Abyllo, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes



inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi, videntes bestiam, quæ erat, & non est. Et hic est sensus. Qui habet sapientiam, septem capita: septem mōtes sunt, super quos mulier sedet, & Reges septē sunt, quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit: & cum venerit oportet illum breue tempus manere. Et bestia, quæ erat, & non est: & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit. Et decem cornua, quæ vidisti decem Reges sunt, qui regnum non dum acceperunt: sed potestatem, tãquam Reges vna hora accipient post bestiam. Hi vnum consilium habent, & virtutem: & potestatem suam bestię tradent. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos; quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum. Et qui cū illo sunt vocati, & electi, & fideles. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidisti vbi meretrix sedet, populi sūt & gentes, & linguæ. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia. Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudã, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est illi: vt dent regnum suum bestię, donec consumentur verba Dei. Et mulier, quam vidisti est ciuitas magna, quæ habet regnum supra Reges terræ.

Et venit

Et venit vnus de septem Angelis, &c.

**H**ÆC est tertia extasis, in qua Iohanni interpretatum fuit totum mysterium, atque iudicium meretricis magnæ sedentis super aquas multas, inspectum in superiori parte: Nam postquam spiritus Draconis, & Regnum eius cap. XII. & cap. XIII. reuelatum fuit, nunc ereptus Iohannes in spiritu in desertum (mente enim, & nō corpore debet intelligi) vidit mulierem, & Draconem ipsum residentem super regnum, & bestiam suam coccineam plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septē, & cornua decem, & mulier erat circumdata a purpura, & coccino, & in aurata auro, & lapide pretioso, & margaritis. Quæ omnia thesaura cum in oriente apprimè splendeant, orientem etiam sedem, & regnum subiectum esse Draconi optime describitur. Ostenduntur ergo primo diuitia, & ornamenta aurea, & pretiosa; ostro, et omni electissimo colore tincta nephandissimæ huius meretricis; cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis illius. Secundo huius magnæ Babylonis fornicatio ostenditur ex poculo auro, pleno immunditiæ eius: Unde in fronte scriptum habebat nomen eius, mysterium: Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ, à cuius blasphemijs in Deum, & sanctos eius effusio sanguinis iusti secuta est. Iste enim est ille serpens antiquus, qui obdurauit cor Pharaonis, & Romæ iam supra septem colles residens, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum, &

lum, & tandem iratus stetit supra arenam maris, & abiit, recapitulando impietates Aquilæ, facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi; y enim omnes, de vino eiusdem magnæ meretricis bibendo characterem eius acceperunt. Unde cum omnes istæ bestię filij eiusdem fornicariæ facti sint; non immerito, Mater fornicationum, scriptum habebat in fronte. Quapropter interpretatio huius mysterij, quæ Iohanni fit ab Angelo, in tres diuiditur partes: primo enim mysterium bestię, & capitum, & cornuum ipsius: Secundo mysterium aquarum, supra quas sedet mulier. Tertio ipsius etiam meretricis sacramentum interpretatur. Inquit itaque Angelus: Bestia, quam vidisti fuit, & nō est, & ascensura est de abyssō, & in interitum ibit: dictum autem hoc fuit propter desolationem futuram totius Asiæ, regni meretricis magnæ, de qua Iohannes loquens cap. XVIII. dixit: Et apprehensa est bestia, & cum ea falsus propheta, & ambo missi sunt in stagnum ignis, cuius bestię septem capita, Reges septem interpretantur, quorum interitum videns Iohannes vaticinatur destructionis eorum finem, medium, & principium, quod cum à quinto exoriri serpente debeat, inquit: Quinque ceciderunt, vnus ergo est, & alius nō dum venit: Et cum venerit oportet illum breui tempore manere. Et tunc Satanas ligatus ab Angelo in Abyssum missus fuit per mille annos; quo tempore transacto iterum soluetur, & ibit super latitudinem terræ, & seducet gentes, donec deuoretur ab igne, qui de cælo descendere ultimo debet. Idcirco dictum fuit: Bestia, quæ fuit, & nō est, & ascensura est de abyssō, &

in interitum ibit: ex ore enim Draconis, bestię, & falsi propheta exire debent spiritus tres immundi, & procedent ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei. Cum ergo eadem bestia septem capitum, quæ destructa iam fuit in destructione Asiæ; iterum etiam destrui debeat in vitima sui destructione, dictum fuit iterum: Et bestia, quæ erat, & non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum ibit. Cum verò magna bestia ista decem cornuum, quæ erat, & nō est, sit propago septem capitum Draconis, octaua dicitur bestia: Unde cum ipsa veluti totum quoddam, eadem sit à principio vsque ad finem, erit etiam de septem. Quapropter, & bestia etiam ista cum suis omnibus decem cornibus, & partibus, tandem in secunda, & vltima destructione mundi in interitum etiam ibit sempiternum: Unde de ea non amplius, vt de bestia septem capitum, dictum fuit: Et ascensura est de abyssō. Quoniam ergo decem cornua erant in bestia: Idcirco primo dictum fuit illa significare decem Reges, qui Regnum non dum acceperunt: sed post destructionem bestię tripartita, quam similem Pardo esse, & os Leonis, & pedes Ursi habere, iam visum fuit, vna hora accipient: Ob id cap. VII. septem capita in Dracone, non autem decem cornua coronata fuerunt. Capite vero XIII. supra decem cornua, diadematata decem posita solum fuerunt: Ideo decem cornua, quæ vidisti in bestia, decem Reges sunt, qui regnum non dum acceperunt: Sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam. Cum itaque y decem Reges, Diaboli filij omnes, vnum consilium atque rempublicam habeant, pugnaturi

sunt cum Agno; & Agnus, in cuius fœmore scriptum est: Rex regum, & Dominus dominantium, vincet illos: Unde decem cornua, quæ vidisti in bestia odient fornicariã in animis eorum impressam, quam etiam comburendo ob flatum ignis, qui flare debet super quatuor partes terræ consumendas, desolatam, & nudam facient eam, & carnes eius inflamas, & linguam præ doloribus manducãdo, odient illam vulnere sæuo, & pessimo sempiterno tempore: Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum est illi, ut dent Regnum suum bestie, donec consumantur verba Dei per ignem, & fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motum magnum, quibus omnibus impressionibus ignitis, vulnus sæuum, & pessimum super multitudinẽ, quæ præparata erat pugnare, factum est. Quapropter Diabolus, qui Infernus, & mors secunda est, proiectus fuit in stagnum ignis, & sulphuris æternũ. Aqua verò multæ, super quas mulier sedet, populi sunt, & gẽtes, & linguæ: Nam postquã Draco persecutus fuit mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi, residendo tandem stetit supra multas aquas, propter ciuitates, & gentes multas circa mare magnum ei subiectas; Ob id ex mari bestia omnis ascendere; sicut etiam quatuor grandes illæ bestie, dum quatuor venti pugnabant mari magno, visa fuit. Draconis ergo imperium adepti supra arenam maris magni, quinque capita, & Reges eius iam iam interitui appropinquauerunt. Unus ergo superest, & alius, qui etiam non dum venit, cum venerit oportet illum breue tempus manere: & mulier, quam vidisti,

vidisti: est ciuitas magna, quæ habet regnum supra Reges terræ: sicut est Draco ipse, cui subyciuntur omnes spiritus immundi: Idcirco pro omnibus bestijs accepta fuit hæc meretrix magna cap. XV. quando inquit: Et vidi de ore Draconis, & de ore bestie, & de ore falsi propheta exire spiritus tres immundos: sunt enim spiritus Demoniorum facientes signa: & tamen pro uno, & eodem Diabolo omnes sumpti fuerunt cap. XX. Quo in loco de his tribus spiritibus loquens inquit: Et cū consumati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exhibit, & seducet gentes. Simul ergo cū hoc Serpente antiquo concomitantur spiritus, & furie eius omnes immunda: Idcirco in eodem loco, & stagno ignis, in quo Diabolus missus fuit, etiam, & bestia, & falsus propheta cruciabuntur cap. XX. Sunt enim spiritus isti inter se inseparabiles. Idcirco postquam Draco residere cœpit supra arenam maris, statim etiam vidit, & de mari bestia illam tripartitam, & septem capita, & decem cornua habentem ascendisse, & de terra falsum illum prophetam. Quamobrẽ ex his omnibus spiritibus immundis orta fornicaria magna, ædificata fuit ciuitas, & Babylon magna: huius ergo Infernus, & sempiterna nox est Diabolus ipse, cuius tenebris bestia, & omnis numerus eius oppressus cruciabitur die, & nocte: sicut primo visum fuit in destructione orientis cap. XVIII. Et etiam idem clarum fuit, in ultimo excidio mudi, in quo sempiterna, & viua morte cruciandus est Draco bestia, & falsus propheta: Idcirco dictum fuit de bestia septem capitum destructa iam in destructione orientis: Bestia, quam vidisti, fuit, & non est: Ideo, & ascensuram esse iterum de

Abyssus, & iterum interimendam esse in ultima destructione mundi, paulo supra repetitum esse audivimus: Unde cū Draco, & Diabolus ipse habitaculum sit suorum Angelorum tenebra filiorum, & custodia existat omnis spiritus immundi, & odibilis: & etiam cum ex ijs facta sit Babylon magna, dictum fuit mulierem sedere super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiarum, cum eius virtus, & potentia omnis undique, & operationibus, & cogitationibus effluat ne phandisimis, audivimus habere hanc mulierem, & matrem fornicationum poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius: Unde orientalium omnium sapientior Salomon in proverb. inquit: Mulier pulchra, & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedit in foribus domus sue super sellam in excelso urbis loco, ut vocat transeuntes per viam, & pergentes itinere suo: Qui est parvulus declinet ad me, & via cordi, locuta est. Aqua fontium dulciores sunt, & panis absconditus suavior, & ignoravit quod ibi sint Gigantes, & in profundis inferni conivivia eius. Qui enim applicabitur illi descendet ad inferos, & qui abscedet ab ea, salvabitur: Hac enim est mulier illa meretrix, ornatu meretricio ornata ad decipiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians, apprehensumque deosculatur iuvenem, & procaci vultu blanditur dicens: Victimam pro salute deonomi hodie, reddidi vota mea: Idcirco egressa sum in occursum tuum desiderans te videre, & reperiri, intexui fimbriis lectum meum, stravi tæpedibus pictis ex Egypto,

asperse cubile meum. Myrrha, & Aloe, & Cinamomo: veni inebriemur habuerimus, & fruamur cupidis amplexibus, donec illucescat dies: non est enim vir in domo sua, ignorans quod in profundis inferni sunt conivivia eius, ut dictum fuit à Salomone. Quapropter meretrix ista circumdata a purpura, & coccino, & maurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, die, & nocte cum amatoribus suis, & Regibus, qui de calice immunditiae eius biberunt, missa est in stagnum ignis ardentis, ut in exstinguibili crucietur igne. Idcirco Salomon in proverbio: Ut eruaris, inquit, à muliere aliena, & ab estranea, quæ mollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis suae, & pacti Dei sui oblita est: inclinata enim ad mortem domus eius, & ad inferos, semitæ eius: multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea, via inferi domus eius penetrantes inferiorem mortis.

## CAP. XVIII.

ET post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo habentem potestatem magnam: & terra illuminata est à gloria eius, & exclamavit in fortitudine dicens: Cecidit cecidit Babylon magna: & facta est habitatio demoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis: Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: Et Reges terræ cū illa fornicati sunt, & mercatores

ræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt. Et  
 audiui aliam vocem de cœlo, dicentem: Exite de  
 illa populus meus: vt ne participes sitis delicto-  
 rum eius, & de plagis eius non accipiatis. Quo-  
 niam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum,  
 & recordatus est Dominus iniquitatum eius. red-  
 dite illi sicut, & ipsa reddidit vobis: & duplicate  
 duplicia secūdam opera eius: in poculo quo mi-  
 scuit vobis, miscete illi duplum. Quantum glori-  
 ficauit se, & in deliciis fuit, tātum date illi tormen-  
 tum, & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo Re-  
 gina, & vidua non sum, & luctum nō videbo. Ideo  
 in vna die venient plagæ eius mors, & luctus, &  
 fames, & igne comburetur: quia fortis est Domi-  
 nus, qui iudicabit illam. Et flebunt, & plangent  
 se super illam Reges terræ, qui cum illa fornicati  
 sunt, & in deliciis vixerunt, cum viderint fumum  
 incendii eius: longe stantes propter timorem tor-  
 mentorū eius dicentes: Væh Væh, ciuitas illa ma-  
 gna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vna ho-  
 ra venit iudicium tuum. Et negotiatores terræ fle-  
 bunt, & lugebunt super illam; quoniam merces  
 eorū nemo emet amplius, merces auri, & argen-  
 ti, lapidis prætiosi, & margaritæ, byssi, & purpu-  
 ræ, & serici, & cocci, & omne lignum thinum,  
 & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide præ-  
 tioso, & eramento, & ferro, & marmore, & ci-  
 namomum, & amomum, & odoramentorum, &

vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & simile, & tri-  
 tici, & iumentorum, & ouium, & equorum, &  
 rhedarum; & mancipiorum, & animarum homi-  
 num. Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt à  
 te, & omnia pingua, & preclara perierunt à te.  
 Et amplius illa iam non inuenient mercatores ho-  
 minum. Qui diuites facti sunt ab ea longe stabūt  
 propter timorem tormentorum eius flentes, &  
 lugentes, & dicentes: Væh, Væh, ciuitas illa ma-  
 gna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco,  
 & deaurata erat auro, & lapide prætioso, & mar-  
 garitis: quoniam vna hora destitutæ sunt tantæ di-  
 uitæ: & omnis gubernator, & omnis qui in lacu  
 nauigat, & Nautæ, & qui in mari operantur lon-  
 ge steterunt, & clamauerunt videntes locum in-  
 cendii eius, dicētes: Quæ similis ciuitati huic ma-  
 gnæ? Et miserunt puluerem super capita sua, &  
 clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes: Væh,  
 Væh, ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt  
 omnes, qui habebant naues in mari de præciis  
 eius: quoniam vna hora desolata est. Exulta su-  
 per eam cœlum, & sancti Apostoli, & prophetæ:  
 quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de il-  
 la. Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi  
 molarem magnum, & misit in mare dicens: Hoc  
 impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, &  
 ultra iam non inuenietur. Et vox citharedorum,  
 & musicorum, & tibia canentium, & tuba non au-  
 dietur.

dictur in te amplius: & omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius, & vox molæ non au-  
 dietur in te amplius, & lux lucernæ non lucebit  
 in te amplius, & vox sponsi, & sponsæ non audie-  
 tur adhuc in te: quia mercatores tui erant princi-  
 pes terræ: quia in veneficis tuis errauerunt om-  
 nes gentes. Et in ea sanguis prophetarum, & san-  
 ctorum inuentus est, & omnium, qui interfecti  
 sunt in terra.

Et post hæc vidit alium Angelum, &c.

**H**INC dolor, hinc luctus meretricis magnæ, & eorū  
 omnium, qui cum ea fornicati sunt. Illi verò, qui in  
 delicijs eius non vixerunt, neque characterem bestiae  
 acceperunt, vt fuerunt illi, qui consignati fuerunt à princi-  
 pio in libro vitæ: Cælum etiam, & Apostoli, atque prophe-  
 tæ exultabunt letitia magna super hanc Babylon, cuius Re-  
 gia ciuitatis, totiusque etiam Asia excidium, & cap. XIII.  
 & etiam nunc testatur Angelus gloria fulgentissimus: Id-  
 circo dixit: Cecidit, cecidit Babylon illa magna: Unde à duo-  
 bus Angelis facta fuit, & messis terræ, & vindemia vineæ;  
 Quapropter cap. etiam X. vltima destructio futura ipsius  
 Hierosolimæ prædicta fuit ab Angelo illo forti, vt etiam factum  
 fuit in sono septimæ tubæ. Cecidit ergo Regia ciuitas,  
 atque ruina, & nocte sempiterna inuoluta est: Quamobrè  
 facta est ciuitas, & regnum spiritus omnis immundi, & solæ  
 habitatio Demoniorum: Unde propter eos, qui testimonium  
 habent

habent Iesu Christi. audiui inquit Iohannes, aliam vocem de  
 cælo dicentem: Exite de ea popule meus, ne & vos pariter pe-  
 reatis in scelere ciuitatis, & de plagis eius nõ accipiatis: quia  
 propter dictum fuit quatuor Angelis stantibus supra qua-  
 tuor angulos terræ ab Angelo ascendente ab ortu solis: No-  
 lite nocere terræ, aut mari, quousque signemus seruos Dei  
 in frontibus ipsorum: Recordatus est enim Dominus iniqui-  
 tatum, quæ in conspectu suo factæ fuerunt: Quoniam ini-  
 quitatem meam ego cognosco, & peccatum meum cõtra me  
 est semper, cecinit David: Venit ergo in memoriam Baby-  
 lon magna, propter cuius impietatem factam coram filium  
 Dei non solum Hierusalim; sed etiam tota Asia, & mûdus  
 ipse dissolui debet: Recordatus itaque nunc est Deus, & A-  
 gnus eius omnis sanguinis effusi martyrum Iesu: Unde di-  
 ctum fuit sanctis ipsis: Reddite illi secûdum opus suum, &  
 iuxta omnia, quæ fecit, duplicate duplicia. Hic enim pa-  
 tientia sanctorum est, qui in captiuitatem duxerit in capti-  
 uitatē vadet, qui in gladio occiderit, gladio occidetur, Quam-  
 obrem in vna die venient plagæ eius mors, & luctus, & fa-  
 mes, & igne comburetur: quia fortis est Dominus, qui iudi-  
 cabit illam; Unde amatores eius, cum viderint fumum  
 incendij eius lugebunt super eam dicentes, Uah, Uah  
 Babylon illa magna, ciuitas illa fortis: quoniam vna ho-  
 ra venit iudicium tuum: lugebunt etiam negotiatores ter-  
 ræ, veluti à longe thesaurum ipsius solis; Unde omnia præ-  
 tiosa, aurum, gemmæ, ostrum, byssum, cinamomum, pur-  
 pura, triticum, & omnia bona terræ reconduntur; afficien-  
 tes, cœu vas vitreum fractum, atque dissolutum. Horrebunt

etiam

Q etiam

etiam ob tam ingentem prosternationem, atque desolationem. navigantes ipsi, ad quos etiam longè stantes, pertinget vndique propagatum naufragiū omnium diuitiarum: Ulu-  
 lūte ergo naues maris, quia deuastata est fortitudo, & domus vestra, vnde venire consueuerunt. Isaias cap. XXI. Quomodo igitur peristi, quæ habitas in mari, vrbs inlyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant vniuersi, vt habetur in Exechiele. Hoc memorabile excidium, vnde ortum est totius orientis excidium, vaticinaturus alius Angelus, sustulit deinde vnum lapidē, atque proiecit in mari: Hoc impetu mittetur, inquit, Babylon ciuitas illa magna, & vltra non inuenietur: Uah Uah, itaque tibi Byzantium, & tu Asia concors in spem Babylonis, & gloria personæ eius. Uah tibi miseram, propter quod assimilasti ei, & ornasti filias tuas in fornicatione ad placendum, & gloriadum in amatoribus tuis, qui tecum cupierunt semper fornicari. Immittam tibi mala, viduitatem, paupertatem, & famem, & gladium, & pestem, ad deuastandas domus tuas à violatione, & morte virtutis tuæ, Esdras lib. III. cap. XV. Unde cum compleueris legere librum istum ligabis ad eum lapidem, & proyicies illum in medium Ephratem, & dices: Sic submergetur Babylon, & nō consurgit à facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissipuetur, Isaias cap. LI. Quapropter cap. XVI. lib. III. Esdræ dictum fuit: Uah tibi Babylon, & Asia, Uah tibi Egyptæ, & Syria præcingite vas saccis, & cilicijs, & plāgite filios vestros, & dolete; quoniam appropinquauit contritio vestra: in te enim sanguis prophetarum, & sanctorum inuentus est, &

omnium,

omnium, qui interfecti sunt in terra: nam propter occisionem filij hominis genus humanum vitam cum morte cōmutauit; Effusum itaque est æs tuum, inquit Dominus in Exechiele, & reuelata est ignominia in fornicationibus tuis super amatores tuos, & super idola abominationum tuarū in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis. Ecce congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es, & omnes, quos dilexisti cum vniuersis, quos oderas, & congregabo eos super te vndique, & nudabo ignominiam tuā coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam, & iudicabo te iudicijs adulterarum, & effundentium sanguinem, & dabo te in sanguinem furoris, & zeli, & dabo te in manus eorū, & destruent lupar tuum, & demolietur prostibulum tuum, & denu dabunt te vestimētis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquēt te nudam, plenamque ignominia tua, & adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabūt te gladius suis, & cōburent domus tuas igne, & facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum, & locum pedum meorum glorificabo; Ecce ego, dicit Dominus in Exechiele cap. XXVIII. ad te Pharao Rex Egypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dices meus est fluuius, & ego feci memet ipsum, & ponam fraenum in maxillis tuis, & agglutinabo pisces fluminum tuorū squamis tuis adherebunt, & proyiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis, bestijs terræ, & volatilibus cæli dedi te ad deuorandum. Propterea assume lamentum super Pharaonem Regem Egypti, & dices ad eum, leoni gētium

Q. 2 assimilatus

assimilatus es, & Draconi, qui est in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum: expandam super te rete meum, in multitudine populorum multorum: & extraam te in sagena mea: & proiciam te in terram super faciem agri: abijciam te, & habitare faciam super te omnia volatilia caeli, & saturabo de te bestias uniuersae terrae, & dabo carnes tuas super montes, & implebo colles tuos sanie tua, & irrigabo terram fetore sanguinis tui super montes, & valles implebuntur ex te, Ezechiel cap. XXII. Quomodo ergo ceci disti Lucifer de caelo, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Qui dicebas in corde tuo, in caelum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum: Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super latitudinem nubium, similis ero Altissimo. Ueruntanem ad Infernum detraheris in profundum lacu. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. Numquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit, uinitis eius non aperuit carcerem. Omnes Reges terrae gentium uniuersi dormierunt in gloria, vir in domo sua: tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, & ob uoluntus eum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta lacu, quasi cadauer putridum, Isaias cap. XVIII. Infelix ergo per maria uenies, & rursus accipies mala, ut cap. XV. lib. IIII. Esdrae dictum fuit: In te enim, ut inquit hac in parte Iohannes, inuentus est sanguis prophetarum, & sanctorum, & omnium qui interfecti sunt in terra, ob cuius

innocenti

innocenti sanguinis vindictam significandam, datus fuit Ezechiel li ad deuorandum liber scriptus intus, & foris, & scriptae erant in eo lamentationes, & carmen, & Uah cap. II. Ezechiel. Cum ergo extinctus fueris, operiam caelos, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum; omnia luminaria caeli merere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam, Ezechiel cap. XXII. Unde obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo, sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem. Ioel, & Act. Apost. cap. II. Propter hoc itaque orientis excidium futurum erubescet, ut luna, confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum, ut habetur in Isaias. Idcirco perdam ex eis vocem gaudij, & vocem latitiae, uocem sponsi, & uocem sponsae, uocem mola, & lumen lucernae: Unde omnibus orientalibus insignibus, & ornamentis à nephandissima meretrice ista, qui Draco, & Serpens antiquus est, ob suas in Deum, & filium, & sanctos eius blasphemias, detractis, subijci, ac subterfieri debent calcaneo peregrinae mulieris; Unde amicta sole, & oedwā sub pedibus eius inspecta, fuit electa haec Agni sponsa. Astitit ergo Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata uarietate. Psalm. XLIV. unde, quae est ista delicijs affluens, ornata, & circumdata uarietate? dictum fuit in cantica.

CAP.



## CAP. XVIII.

**P**OST hæcaudiui quasi vocem turbarū multarum in cœlo dicentium Alleluia, laus, & gloria, & virtus Deo nostro est: quia vera, & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sâguinem seruorum suorum de manibus eius. Et iterum dixerunt Alleluia. Et fumus eius ascendit in secula seculorum. Et ceciderunt seniores vigintiquatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum dicentes Amen, Alleluia: & vox de throno exiuit dicens, laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis eum pusilli, & magni. Et audiui quasi vocem tubæ magnæ, & sicut vocē aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium Alleluia; quoniam regnauit dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus, & exulemus, & demus gloriam ei, quia uenerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparauit se; & datum est illi, ut cooperiat se Byssino splendenti, & candido; Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum: & dixit mihi scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, & dixit mihi: hæc uerba Dei uera sunt. Et cecidi ante pedes eius, ut adorarem eum, & dicit mihi; Vide ne feceris,

COR-

conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. Deum Adora: testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ. Et uidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & uerax, & cum iustitia iudicat, & pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multæ: habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse. Et uestitus erat ueste aspersa sanguine: & vocabatur nomen eius uerbū Dei. Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, uestiti Byssino albo, & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus: ut in ipso percutiat gentes. Et ipse regat eas in uirga ferreat. Et ipse calcatur torcular uini furoris iræ Dei omnipotentis, & habet in uestimēto, & in fœmore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium. Et uidi unum Angelum stantem in Sole, & clamauit uoce magna dicens omnibus auibus, quæ uolabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam, ut māducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruorum, & pusillarum, & magnorum. Et uidi bestiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehensa est bestia, & cū

ca

capseudo propheta: & qui fecit signa corā ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt caracterem bestiae, & qui adorauerunt imaginem eius, uiui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis, & sulphuris: & cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, & omneis aues saturatæ sunt carnibus eorum.

Post hæc audiui vocem turbarum in cælo, & c.

**Q**UEMADMODVM facta destructione Hierosolymæ, voces magnæ ob lætitiã factæ sunt in cælo: ita etiã nũc spiritus omneis cælestes propter hãc magnã cenam Regum, & Tribunalium, & omnium orientalium, quam facere debet Agnus, Deo, à cuius voluntate omnia pendere agnoscunt, gratias, & honorem, & virtutem de derunt: idcirco exultat super eum cælu, & sancti Apostoli eius, & omnis anima dixit in cælo gaudeamus, & exultemus: Quapropter audiui post hæc, inquit Iohannes, vocẽ barbarum multarum in cælo dicentium Alleluia, laus & gloria, & virtus Deo nostro: quia vera, & iusta sunt iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorũ suorum. Quando ergo venerit dies pressuræ, & angustia, inquit Esdras, alij plorabunt, & tristes erunt, tu autem hylaris, & copiosa eris. Exultent ergo omnes Angeli Dei: quoniam venerunt nuptiæ Agni, in quibus datum est sponsæ, ut cooperiat se Byssino splendenti. Beati ergo, qui ad hanc cœ-

natio

niam nuptiarum electi sunt. Vidit itaque Iohannes cælum apertum, & Dominum exercituum, & victoriã eius: Quapropter ob trucidationem futurã Regũ, ascendit nunc primogenitus Dei, à quo omnis victoria in nobis est, super equos furoris sui: Ideo, & ecce equus albus, & sedenti super eum data est corona victoria, à principio mundi ei decreta: Unde fidelis vocabatur, & verax, ut à spiritu prophetia, qui est testimonium Dei, iam prædictum fuit, atque confirmatum etiam esse nunc, cognitũ est, in cælo. Cum itaque in hac magna cœna de omnibus regibus terræ, qui adorauerunt bestiã, triumphandum sit gladio, & igne. Idcirco omnes Reges terræ venient ad verendum Deum, qui sunt ab oriente, & ab Austro, ab Euro, & Libano ad conuertendos se, & reddere, quæ dederunt illis: Sicut faciunt vsque hodie electis meis, sic faciam, & reddam in sinu eorum, ut dictum fuit in Esdra. Unde loquens Iohannes de testimonio, & filio Dei, qui Iesus Christus est, dixit igneos esse oculos eius, & de ore eius procedere gladium ex utraque parte acutum, & diademata multa in capite habere: Caput enim, & capilli eius, qui, exeundo vincens, ut vinceret, ascendit equum album, erant candidi tanquam lana alba. Habet ergo nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse: hoc enim est verbum Dei, quod à se ipso tantum intelligitur: Deus enim erat verbum, & hoc erat in principio apud Deum. Quamobrem, quoniam dies ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit, dixit Dominus in Isaia cap. LXIII. Idcirco vestitus erat veste aspersa sanguine, quia aspersus est sanguis eorum super vestimenta meæ, & omnia indumenta meæ inquinavi, ut in Isa-

in loco adducto habetur. Indutus est ergo vestimentis ultionis, & opertus est pallio zeli: Dominus enim regnavit, decorē indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & praecinxit se Psal. XCII. Idcirco accingere gladio tuo super femur tuū potētissimē. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere, procede, & regna Psal. XLI III. Quamobrem ab Angelo in Sole stante, inspecta hac magna strage Regū, fortium, Tribunorum ipsius orientis, voce magna dictū fuit omnibus aubus, quae volabant per medium caeli: Venite, & congregamini ad coenam magnam omnipotentis Dei: Nam visitabo super vos quatuor species dicit Dominus, gladium, ad occisionem, & carnes ad lacerandum, & volatilia caeli, & bestias terrae ad deuorandum, & dissipandū. Draco enim iste, quē formasti ad illudendum ei, omnia à te expectat, & des illis escam in tēpore Psal. CIII. Congregati itaque sunt Reges terrae, & exercitus eorū ad faciendum praelium cum Agno, & sectatoribus suis: Unde excidium bestiae, & Regum suorum, falsiq; propheta, omnisq; seminis eius pradicens Iohannes, inquit: Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudo propheta, qui seducebant gentes in fauorem bestiae: Et ambo missi sunt in stagnum ignis ardentis, & sulphuris: Idcirco pedes auricalco similes, sicut in camino ardenti, habere tandem similem filio hominis à principio inspeximus. Caeteri verò occisi sunt in gladio, qui procedit de ore Dei: Ex his itaque duabus messibus terrae nunc factis à duabus falsibus missis in terram cap. XIII. estimari potest quā magnā aream facient secatae spicae. Unde statuet eos in iudicio viuos, & erit cum arguerit eos, hinc corripiet eos: Nam resis-

dura

duum populum meum liberabit cum miseria, qui saluati sunt super fines meos, & iucundabit eos, quoad usque veniet finis diei iudicij: Regnum enim, & potestas, & magnitudo Regni, quae est subter omne caelum, dari debet tandem populo sanctorum, altissimi, cuius Regnum sempiternum est, & omnes Reges seruient ei, & obedient, vt habetur in Daniele cap. 7. Conteram ergo statuas domus solis: Omnia cornua peccatorum consumam, & exultabuntur cornua iusti Psal. LXXIII. Quamobrē orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna, & dominabitur à mari, vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum Psal. LXXI.

## CAP. XX.

**E**T vidi Angelum descendentem de caelo habentem clauem Abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit Draconem, serpentem antiquum qui est Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in Abyssum, & clausit, & signauit super illū, vt nō seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni: & post hęc oportet illū solui modico tempore. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbū Dei, & qui nō adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus

aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis. Cæteri mortuorum nõ vixerunt donec confumentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: In his secūda mors nõ habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cū illo mille annis. Et cū cõsumati fuerint mille anni soluetur Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog; & congregabit eos in prælium, quorū numerus est sicut arena maris, & ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam; & descendit ignis à Deo de cœlo, & deuorabit eos: & Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia, & pseudo propheta cruciabuntur die, & nocte in secula seculorum. Et vidi tronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inuentus eis. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stātes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex is, quæ scripta erant in libris secūdum opera ipsorum: Et infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda: Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Et vidi

Et vidi Angelum descendentem de cœlo, &c.

**Q**VONIAM bestia, et falsus propheta ipsius Draconis spiritus. sunt immundi inter se inuicem semper concomitantes: idcirco postquam in superiori destructione orientis apprehensa fuit bestia, & cum ea falsus propheta, qui signis admirandis, seduxit gentes, & ambo vni missi sunt in stagnum ignis; apprehēditur etiā nunc Draco, & in Abyssum deprimitur ab Angelo: sicut etiam ab Angelica virtute, è cœlo in terram eiectus fuit cap. XII. Spiritu itaque immundo ablato de terra, depressoq; hoc pacto in Abyssum bestie numero omni, vaticinatur Regnum vniuersale sectatoribus Agni in terra per mille annos: post quā enim Sol cognouit occasum suū, cū adhuc esset dies, signatū fuit ab Angelo super Draconem, vt non seducat amplius gentes, donec confumentur mille anni. Iudicatum itaque est tunc de sanguine effuso propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei: De illis ergo, qui non accipiendo caracterem bestie in frontibus, aut in manibus suis, vixerunt, atque regnauerunt cum Christo, qui vita illorum est per annos mille, dictum fuit: Sedebitis, & vos super thronos iudicantes duodecim tribus Israel; Beati ergo, qui habent partem in hac prima resurrectione; Cæteri verò tunc non videbunt faciē Dei, à qua beatitudo Angelorum pendet: Iudicandi enim sunt in fine iudicij. Transacto vero tempore mille annorum, exibit iterum Sathanas de carcere suo, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ. Quamobrem dictum fuit

cap.

cap. XVI. Et vidi de ore Draconis, & de ore bestia, & de ore pseudo-prophetiae exire spiritus tres immundos, et procedunt ad Reges totius terra congregare illos in praelium ad caenam magnam omnipotentis Dei: Sicut enim simul cum Dracone detrusi fuerunt in Abyssum omnes spiritus immundi: Ita etiam simul cum eodem Dracone, atque Diabolo iterum ascendere debent eius omnes immundi spiritus. Quapropter tres omnes istos spiritus, atque bestias in unum comprehensus fuit Iohannes, quando inquit: Et exiet Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae: Oportet enim illum solui modico tempore e carcere suo: Nam modico tempore tunc regnare debet: Unde decem cornua, quae vidisti in bestia decem Reges sunt, qui Regnum nondum acceperunt: sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam, dictum fuit cap. XVII. In fine enim abbreviati sunt dies eius: nam per tempus, & tempora, & dimidium temporis debet dari omne Regnum populo sanctorum Dei: Idcirco coniunctim Iohanni ab Angelo significatae fuerunt plagae cum plagis cap. XIII. & cap. XV. & cap. XVI. Et excidium etiam mundi cum excidio eiusdem Asiae cap. XVIII. & cap. XX. Descendet ergo maledictus ignis de caelo, & deuorabit eos, qui ascenderunt super latitudinem terrae, & circuierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam. Quare ergo fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terrae, & Principes conuenerunt in unum aduersum dominum, & aduersum Christum eius Psal. II. Quapropter fame audiendi verbum Dei emissa in terram:

Iterum

Iterum Diabolus serpens antiquus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia, & pseudo propheta cruciabuntur die, & nocte; & luctus, & dolor eius ascendet in secula seculorum. Unde cap. XII. postquam Sathanas e caelo proiectus fuit, dixerunt Angeli aeternam eius mortem agnoscentes. Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri. Cum itaque omnia conuersa sint in antiquum silentium, propter hanc alteram destructionem bestiae omnis, iterum repetitum fuit. Bestia, quae erat, & non est, ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit: In hoc enim apparuit filius Dei, cui omne iudicium a patre datum fuit, ut dissoluat opera Diaboli: Unde sicut ob persecutores Agni Dei destructio Hierusalem, & Asia facta fuit: ita etiam ob maximum, & pessimum Regnum, quod supra terram in vltimis diebus aduersus Deum, & Christum eius, surgere debet, ignis de caelo descendet super omnes partes terrae veneno Sathanae infecta. Quapropter, & ecce, ut vidit impetu multitudinis venientis non leuauit manum suam, neque phrameam tenebat, neque aliquod vas bellicosum, nisi solummodo, ut vidi: Quoniam emisit de ore suo sicut flatum ignis, & de labijs eius spiritus flamma, & de lingua eius emittebat scintillas, & tempestates, & cum ista sunt omnia simul, hic flatus ignis, & spiritus flamma, & multitudo tempestatum. Et concidit super multitudinem in impetu, quae praeparata erat pugnare; & succendit omnes, ut subito nihil videretur de innumerabili multitudine: nisi solummodo puluis, & fumi odor, ut cap. XIII. lib. III. Esdrae habetur: Igne enim corpora omnia in

exiguam

exiguum puluerem, & cinerem conuersa, atque extincta sunt; anima uero dederunt odorem suum. Clausi itaque libri aperti sunt: Unde uirtus, diuinitas, sapientia, fortitudo, gloria, honos, & benedictio emicuit; & alius liber apertus est, qui est uita, & iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Unde beati illi, in quorum tabulis uerbum Dei inscriptum apparebit: In nostra enim libera uoluntate, ceu in cado libro, & tabula, in qua nihil est impressum, omnia scribi possunt. Quapropter ex his, quae a nobis metipsis disseminata sunt in nostra intelligendi potentia, iudicandi sumus. Iudicatum itaque est, inquit Iohannes, de singulis secundum opera, & fructus ipsorum, & dedit mare mortuos, qui in eo erant: Et qui non est inuentus in libro uita scriptus, missus est in stagnum ignis ab eo, qui habet clauas mortis, & inferi, qui aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit. Et haec est mors secunda, quae in fernus, & Diabolus est, in qua nostra uidentis acies sempiterna nocte inuoluta obtenebrescit. Congregabit ergo dominus triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili: ignobiles enim sunt, qui contempserunt uias Altissimi. Dies itaque Domini (inquit Paulus ad Corinth.) declarabit, quia in igne reuelabitur; & cuiusque opus quale sit igne probabit, si cuius opus manserit, quod super aedificauit mercedem accipiet, si cuius opus arserit detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quapropter ignis Dei accensus in destructionem Hierosolymae non exstinguetur quousque consumat fundamenta terrae, ut enim Gigas ad eurrendam uiam a summo caelo egressio eius. Exijt

ergo

ergo ignis ex iracundia eius, & quis est, qui exstinguat eum? terra tremuit, & fundamenta eius; mare fluctuat de profundo, & fluctus eius disturbabuntur, & pisces eius a facie domini, & a gloria uirtutis eius: Quoniam fortis dextera eius, quae arcum tendit; sagitta eius acuta, quae ab ipso mittuntur, non deficient cum caeperint mitti in fines terrae, ut dictum fuit in Esdra lib. II. Idcirco apud Ezechielum habetur unumquodque quatuor animalium, coram facie sua ambulabat, ubi erat spiritus impetus illuc gradiebantur; nec reuertebantur cum ambularent: Ut enim non reuertit sagitta missa a valido sagittario: sic non reuertuntur mala, quae missa fuerint in terram: anima enim iustorum clauant perseveranter apud Deum, cuius uerbum uerum, & ueritas testificatur, Esdras lib. III. Egressa est ergo pollutio Hierusalem super omnem terram: nam peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, cap. XVII. Hieremiae; Unde Esdras postquam egit de destructione Hierusalem lib. III. statim ante destructionem Asiae praedicendam ab eo, uidit excidium ipsius mundi. Soluti ergo sunt quatuor Angeli stantes supra quatuor angulos terrae: Unde cataractae de excelsis apertae sunt; Et apparuerunt effusiones maris, & reuelata sunt fundamenta orbis, ab inspiratione spiritus furoris eius lib. II. Regum cap. XII. Quapropter in eadem animi extasi accepit Iohannes ab Angelo librum apertum, in quo continetur totum mysterium Dei. Quo pacto ergo uenientem in nubibus uidebit omnis oculus, et qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terrae, & propter quid, usque tribus iudiciis, quibus, &

S

mun-

*mundus, & partes eius, & quæ in eis sunt consumandæ sint, hucusq̄ patere potest. Quid verò ex hoc occasu oriendum sit, nunc luce clarius elucescet.*

## C A P. X X I.

**E**T vidi Cælum nouum, & terram nouam: primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare iam non est. Et ego Iohannes vidi sanctam ciuitatem Hyerusalem nouam, descendentem de cælo, à Deo paratâ, sicut sp̄sam ornatâ viro suo. Et audiui vocem magnâ de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cū eis, & ipsi populus eius erunt: & ipse Deus cum eis erit eorū Deus, & absterget Deus omnem lacrymâ ab oculis eorū: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia, & dixit mihi, scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et dixit mihi factū est. Ego sum α, & ω: initium, & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis: qui vicerit possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Timidis autem, & incredulis, & exeratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda. Et venit vnus de septem Angelis, habentibus

bus phialas plenas septem plagis nouissimis, & loquutus est mecū, dicens: Veni, & ostendā tibi sp̄sam vxorem Agni: Et sustulit me in spiritu in montem magnū, & altū: Et ostendit mihi ciuitatem sanctam Hyerusalem descendentē de cælo à Deo habentem claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi præcioso, tanquàm lapidi iaspidis, sicut cristallū. Et habebat murum magnū, & altū, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuū filiorū Israel. Ab Oriente portæ tres; & ab Aquilone portæ tres: & ab Austro portæ tres: & ab Occasu portæ tres: & murus ciuitatis habens fundamenta duodecim; & in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorū, & Agni. Et qui loquebatur mecū, habebat mensurā arundineâ aureâ, vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murū. Et ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tāta est, quanta, & latitudo: & mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia, & longitudo, & altitudo, & latitudo æqualia sūt. Et mensus est murum eius centū quadraginta quatuor cubitorū, mensura hominis, quæ est Angeli. Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa vero ciuitas aurum mundū simile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide præcioso ornata. Et fundamentum primū, iaspis: secundum, Zaphirus: tertium, Calcedonius: quartum, Smaragdus:

ragdus: quintum, Sardonix: sextum, Sardius: septimū, Chrysolitus: octauum, Beryllus: nonum, Topazius: decimū, Chrysolprasus: undecimum, Hyacinthus: duodecimum, Amethystus: & duodecim portæ, duodecim Margaritæ sunt, per singulas; & singulæ portæ erant ex singulis Margaritis, & platea ciuitatis aurum mundū, tanquam vitrum per-lucidum. Et templū nō vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templū illius est, & Agnus. Et ciuitas nō eget sole, neque luna, vt luceant in ea: Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus. Et ambulabūt gentes in lumine eius, & Reges terræ afferent gloriā suā, & honorem in illum, & portæ eius non claudentur per diem. Nox enim non erit illic; Et afferent gloriā, & honorem gentiū in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abhominacionem faciens, & mendacium; nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

Et vidi cælum nouum, & terram nouam, &c.

**Q**VONIAM finis temporis huius est principium futura immortalitatis: Idcirco postquam inuersum fuit, quod seminatū erat, & discessit locus, vbi disseminatū erat malum: gramen enim seminis mali seminatū fuit in corde Adam ab initio, venit vbi seminatū est bonum: Unde ad pristinam mentem diuinam, à qua iam exciderant, reuertimur electi. Quamobrem, & erit post dies

dies septem, & excitabitur, quod non dum vigilat seculū, & morietur corruptū, & terra reddet, quæ in ea, dormiunt, vt inquit Ejdra. Quapropter sicut facta destructione Hierosolima, templum Dei apertū fuit in celo, in quo visa est Arca testamenti, & mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius visa etiam fuit in celo: ita etiā postquam princeps mundi huius, & Draco, qui trahebat tertiam partem stellarum in terrā, missus fuit in stagnum ignis, & sulphuris vnā cum bestia, & falso propheta, vidit etiam in hac vltima extasi nouam Hierusalem descendisse de celo paratam, sicut sponsam viro suo: In cupido itaque amplexu sponsi, & sponsæ perfecti sunt cali, & terra, & omnis ornatu eorum: Ideo vidi cælum nouum, & terram nouam: prima enim omnia, postquam in mundo, vt in thalamo suo veniens filius Dei occisus fuit, euerterunt lumina sua per tempus, & tempora, & dimidium temporis: Et quoniam in tertia extasi ad sacramentum aspiciendum destruenda meretricis, adductus fuit Iohannes in spiritu in desertum ab vno e septem Angelis, qui habebāt septem phialas; Unde excidium bestie principium futurum nouæ Hierusalem descensura à Deo, sequutum est: Idcirco ad eius claritatem intuendam vocatur ab vno de septem Angelis, habentibus phialas plenas plagis mortuissimis. Ut ergo Iohannes intueretur eam, quantum visus hominis capax est, euectus fuit in spiritu in montem magnum, & altum: Sed quia perfectio, & splendor excelsæ huius ciuitatis est lumen, & gloria Dei, & Agni: Ob id dictum fuit illā habere claritatem Dei: Vita enim erat lux hominum, & in ipso vita erat: Et lumen ciuitatis re-

ritatis



ritatis simile lapidi iaspidi erat, cui assimilatus fuit, & Agnus, & primum fundamentum, & structura etiam celestis huius ædificij: Et quoniam sponsus unicus est, & incorporeus, sponsa vero anima nostra corpore utens est, & atque numerabilis: Idcirco sponsus intellectus agens comparatus fuit lumini, quod incorporeū est, anima vero nostra lapillis lucidissimis, qui cum dimensionem habeant diuersi sunt ob diuersam in eis reflexionem luminis: Quamobrem diuersæ, atque variæ splendunt anima nostra, ob diuersos gradus amoris, quibus in thalamo, & habitaculo Dei cum hominibus sponsum Dei amplectuntur. Hæc itaque omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Significaturus ergo Iohannes has diuersas mansiones beatorum inquit, ostensam sibi fuisse ciuitatem habentem murum altum, & magnum, & portas duodecim, in quibus sunt inscripta nomina duodecim tribuum filiorum Israel: Ipsiq; lapides duodecim, ut præceptū fuit à Moysi cap. XXXVIII. Exodi, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel, singuli per nomina singulorum. Unde inquit Iohannes: Mensuratus fuit murus centum vigintiquatuor cubitorum mensura hominis, quæ est Angeli: potentia enim hominis intelligendi Deum, potentia Angelica est: Idcirco mensura, & numerus hominis est mensura Angeli. Quapropter cum in celo omnes sint filij Dei: Ob id postquam mensus fuit ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia, mensus etiam est muros eius centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis, quæ est Angeli: Unde cum in ea à lumine diuino à quo pendet, fiat variis modis illuminatio, & actus

intelli-

intelligendi Angelicus; ob diuersum eius intelligendi candorem; Ideo Paulus dixit: Deum dare illi corpus, quod vult, & unicuique seminū proprium corpus, stella enim à stella differt in claritate: Sic & resurrectio mortuorum: Alia enim est claritas solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: Cum enim lux diuina multiplex splendeat in nobis: Ob id noua Hierusalem variis illustrata gemmis emicuit ut sponsa ornata viro suo, cuius vnici sponsi osculo, eo omnino cādore, quæ etiam in celo erat in principio apud patrem, productus fuit in mundo filius Dei ab utero eburneo Mariæ Virginis: Idcirco virgineus conceptus eius, qui calculus candidus anima nostra factus est, filium, qui raptus fuit ad Deum peperit, antequam candida potestas pariendi sponsum suum syluestri animæ se coniungens in internum huius nostræ cavernæ desertū, in quo deinde Adam degustauit de ligno boni, & mali, è celo volaret diuinis luminibus prædita cap. XII. Cum vero post mortem à Deo in nobis oriatur potentia apprehendendi ipsum quid est illius primæ substantiæ, cuius ipsum si est in his tenebris solum attingitur. Idcirco tum propter hoc diuinum lumen nouo quodā modo in nobis tunc splendente, tum propter nouā largitam nobis potentiam recipiendi fulgorem eius, tum etiam propter coedificationem istā de nouo ex illis factā: Ecce inquit noua facio omnia. Quamobrem noua Hierusalem dictū fuit habitaculum Dei cum hominibus: Unde, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen noui scriptum, quod cum mirabile sit, nemo nouit, nisi qui accipit: Accipitur autem solum ab ea virtute, quæ Deo est consubstantialis: nemo enim nouit verbum Dei, nisi ipsum:

Idco

Ideo cap. XIX. dictum fuit de Agno Dei, quod habet nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse. Quamobrem si quis in filium transformatus non fuerit, non poterit ex semine in corruptibili renascendo filium resurrectionis euadere in similitudinem Patris: cum Patre uero filius cum idem sit: Idcirco oportet lauare stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas in ligno uitae, & per portas intrent in ciuitatem. Quapropter, & qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum: Ut enim confirmaretur thronum Regni in sempiternum, sumpta fuit uirga decoris, quam iam absciderat Dominus in ruinam impiorum, ut irritum faceret foedus suum, quod percussit cum omnibus populis: quo diuino spiritu afflatus etiam fuit cap. X. antequam iterum uaticinaretur: Unde liber ad deuorandum ei datus fuit. Quapropter etiam nunc ciuitas arundine aurea, quae Dei est uirtus, & sapientia cum eo cuncta componens, mensurata fuit. Duodecim uero portae, in quibus erant scripta nomina duodecim Angelorum, quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel: Unde illi, qui in lege Moysi iam non exacerbauerunt, in Regnum Dei intrare debent: Et fundamenta etiam duodecim, in quibus sunt scripta nomina duodecim Apostolorum, super quae debet edificari aureum opus, duo sunt populi electi, qui per Patres, & principia ipsorum praestituti sunt. Ob id inspecti fuerunt cap. VIII. per uiginti quatuor seniores super uiginti quatuor sedilia in circuitu sedentis supra sedem in caelo: unde omnis doctus in regno caelorum similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua, & uetera. Nam cum claritas Dei illuminas ciuitatem

sanctam,

sanctam, sit uita, & splendor ipsorum, erat etiam circuitus illorum: Idcirco Iris erat in circuitu sedis cap. VIII. Ob id itaque murus ciuitatis dictus est habere portas duodecim, & fundamenta duodecim, in quibus inscripta sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel, & nomina etiam Apostolorum duodecim. Hanc deinde ciuitatem in quadropositam esse uidit, propter quatuor angulos terrae ab eius fulgore illustratos: Domini enim sunt cardines terrae, & posuit super eos orbem Dominus, iudicabit fines terrae, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui, ut scriptum fuit libro primo Reg. Quamobrem ab oriente portae tres: Ab Aquilone portae tres; ab Austro portae tres: ab Occasu portae tres: longitudo ergo, altitudo, & latitudo huius ciuitatis electae aequalia sunt: sicut etiam aequalis electus fuit numerus ex unaquaque duodecim tribuum cap. VII. Hinc se uidisse, inquit Iohannes, turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmae in manibus eorum. Exurge ergo Hierusalem, & sta in excelsis, & circumspice, dictum fuit in Baruch, ab Oriente, & uide collectos filios tuos ab Oriente sole, usque ad Occidentem in uerbo sancti gaudentes memoria Dei: Idcirco de fenestra domus meae per cancellos prospexi, dixit sapientia: Ab oriente enim adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni da, & Austro noli prohibere. Affert filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terrae, dictum fuit in Isaias: Cum itaque haec ciuitas, & Regnum Dei facta sit ani-

T ma

ma nostra ob lumen, & claritatem Dei, & Agni receptā: Idcirco dixit ciuitatem ipsam esse aurum mundum simile vitro mundo. In parte enim nostra intellectiua ob eius candidam, & immaculatam preparationem, relucet splendor ipsius Dei: Erat ergo platea eius, vt aurum mundum simile vitro perlucido: Foris enim sapientia, vt inquit Salomon, prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua: Necum enim sunt diuitiæ, & gloria, opes superbae, & iustitia. Nam melior est fructus meus auro, & lapide præcioso, vt scripsit Salomon in Prouerb. Quamobrem de hac magna gloria domus istius nouissimæ, loquens Iohannes inquit: Templum nõ vidi in ea: Dominus enim Deus vnicus, & omnipotens, templum illius est, & Agnus: Unde de resurrectione non legis quod dictum est à Deo: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum; sed viuentium: Ego enim sum resurrectio, & vita dictum fuit à filio vnico Dei, qui fuit Iesus Christus. Idcirco, & dabo vobis vnum cor, & viam vnã: Erunt enim, inquit Dominus in Hyeremia, mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Vocabitur ergo hac ciuitas voluntas mea in ea, ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus; vt in Isaia dictum fuit: Et nomen ergo ciuitatis ex illa die Dominus ibidem, vt in Ezechiele cap. XLXIII. Unde, & omnis, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creauit eum. Nulla itaque amplius erit in hac Det cum hominibus ædificatione, & coniunctione, cotrarietas: Absterget enim dominus omnem lachrymam ab oculis ipsorum: Luctus, & nox non erit amplius

plius: nam cum Diabolus, qui accusabat omnes seruos Dei ante conspectum eius, missus sit in stagnum ignis, & sulphuris, præcipitata est mors in sempiternum: Præparata est. n. dixit Esdras, abundantia, ædificata est ciuitas, probata est requies, perfecta est bonitas, & perfecta sapientia, radix mali signata est à vobis, infirmitas, & tinea à vobis absconsa est, & in infernum fugit corruptio in obliuionem: transierunt dolores, & ostensus est in fine thesaurus immortalitatis, & etiam, vt inquit Paulus, diuitiæ gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Idcirco: Faciam vos columnam in templo Dei mei, iam dictum fuit. Nam Deus prima forma existens incorporeus, & indiuisibilis est: Idcirco vndique assistendo amplectitur spiritus nostros, qui possunt potius contineri, & amplecti, quàm continere, quod formæ, & non materiæ proprium est. Quapropter dixit Salomon: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas, vt vocaret ad mœnia ciuitatis, & ad arcem: si quis est paruulus veniat ad me. Beatus ergo qui vigilat ad fores, & postes meas. Quoniã verò Deus & Agnus est claritas, & lucerna lucens splendida ciuitatis: Idcirco ex eodem lumine iaspidis fundamentum primũ, & murum, & structuram ciuitatis conflatam esse dictum fuit: principium enim, medium, & finis mentis, & lucis nostræ aternæ Deus est per Agnum, qui petra, & coniunctio est nostra cum Deo: Cum enim Christi ædificatio simus, in petris riuos excidit Dominus: Nomina ergo duodecim Apostolorum inscripta in duodecim fundamentis nomen est ipsius

sius Agni: Idcirco nomen Agni inscriptum in duodecim fundamentis non fuit enumeratū, præter nomina duodecim Apostolorū: Inquit enim, & in fundamentis duodecim nomina duodecim Apostolorum, & Agni. Cum itaque potentia beatorum factus sit actus ipse diuinus, dictū fuit cap. II. Et dabo illi calculum candidū, & in calculo nomē nouū scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Beati ergo qui lauant stolas suas in sanguine Agni, & per portas intrant in ciuitatem, ut possint in hoc regno, & monte Dei, veluti præclarissimæ gemmæ scintillare: Unde ob diuersos gradus beatitudinis, diuersas etiam sedes, & mansiones sortita sunt præciosissima fundamenta duodecim. Quamobrem Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in zassiris, & ponam iaspidem propugnaculum tuum, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, ut dictum fuit in Isaia cap. LIII. In eodem etiam dictum fuit cap. XXVIII. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatū, angularem, præciosum, in fundamento fundato. Quapropter primum fundamentum iaspidis, dixit esse: Secundum verò zaphyri: Tertium calcedony: sicut etiam reliqua omnia præciosa sunt. In delicijs itaque Paradisi fuisti omnis lapis præciosus, operimentum tuum, sardonius, topazius, & iaspis, & chrysolitus, & onix, & beryllus, zaphirus, et carbunculus, & smaragdus, aureum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. Ezechiel cap. XXVIII. cum vero duodecim sint portæ ciuitatis, & in portis sint Angeli duodecim: Ob id duodecim portæ duodecim margaritæ sũt per singulas

per singulas; & singule portæ erant ex singulis margaritis: Et platea ciuitatis lapis candidus, & mundus tanquàm vitrum perlucidum. Beati ergo qui per margaritas has Angelicas, splendore Agni illustratas, intrant in ciuitatē, quæ ex intelligentijs illuminatis, & ex fulgore Dei illustrante, circumfulxit: Ex lumine enim, & ex auro simile vitro conflata audiuius nouam Hyerusalem: Unde nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non poterit intrare in regnum Dei: Nihil enim erat in templo Moysis, quod auro non tegeretur. Idcirco septem Angeli, qui exierunt de templo, vestiti visi sunt lapide mūdo, & cādido. Quapropter sicut non possumus colligere sparsas guttas, neque demonstrare vocis magnitudinem: ita etiam non possumus gloriam domus Dei verbis, aut intellectu nūc consequi, aut, ut inquit Esdras, claritatem in fine inuenire, quam populo promisit Deus. Nam cum potentia nostra intelligendi, veluti Luna à Sole, illuminetur à claritate Dei: Idcirco ciuitas ista nō eget Sole, aut Luna, ut luceant in ea: Nam splendor Dei illuminauit illam: Unde scriptum fuit in Isaia cap. LX. Non erit amplius Sol ad lucendum per diem, neque splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternā, & Deus tuus in gloriā tuā: nō occidet vltra Sol tuus, & Luna tua nō minuetur: quia erit tibi Dominus in lucē sempiternā, & cōplebuntur dies luctus tui. Exue ergo te Hyerusalē stolam luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi est sēpiterna gloria, Baruch cap. V. Nō intrabit itaq; in eā aliquod coinquinatū, aut abominationem faciens, & mendaciū: sed tantū illi, qui scripti sũt in libro vitæ Agni

*Agni: Iſti enim à conſtitutione mundi mortem non guſta-  
runt. Idcirco fundamenta huius magnæ domus, cum rurſum  
ſint collocata in cælo; ob id è cælo nouam Hieruſalem deſcen-  
diſſe vidit Iohannes, habentem claritatem Dei, radijsq; eius  
ornatam, ſicut ſponſam viro ſuo. Quapropter in iſtis duode-  
cim fundamentis dictum fuit, eſſe nomina duodecim Apo-  
ſtolorum, & etiam Agni: Filius ergo, cum vnum ſit cum  
Patre, templum illius erat Deus, & Agnus: nam claritas  
Dei, ciuitatem illuminans Agnus ipſe eſt, qui lucerna ciui-  
tatis exiſtens, erit lux ſolis duodecim fundamenta illumi-  
nans ſeptemplexiter: In ſole itaque poſuit tabernaculum  
ſuum, & ipſe tanquàm ſponſus procedens de thalamo ſuo.  
Deus enim oſtendet ſplendorem ſuum in te: Impone ergo mi-  
tram capiti tuo honoris æterni Baruch cap. V. Unde vigin-  
tiquatuor ſeniores gloriam, & honorem Deo reddentes, au-  
ferēbant coronas ſuas de capite, & ponebant illas ante thro-  
num Dei. Fundamenta ergo duodecim ſunt, & in iſtis duo-  
decim nomina duodecim Apoſtolorum, & Agni: nomina  
enim Angelica, & beatitudo Apoſtolorum à verbo Dei,  
qui eſt Agnus, pendent: Electi enim ſignati fuerunt nomi-  
ne Dei in frontibus ipſorum: Quapropter ſuper ſtellas luce-  
bunt facies illorum. Poſtquàm ergo libri aperti ſunt in de-  
ſcenſu ſanctæ ciuitatis à Deo, vidit Iohannes vñionem Dei,  
de cuius tripartito fulgore loquens, inquit: Et lumen eius eſt  
claritas Dei, & lucerna eius eſt Agnus, & ambulānt gen-  
tes in lumine eius. Unde platea, & anima noſtra: ſicut  
etiam conflat a ipſa ciuitas, dicitur aurum mundum ſimile  
vitro mundo. Apertus itaque eſt liber vitæ, in quo gloria,  
& vñio*

*& vñio trinitatis diuinæ emicuit: Unde de beatitudine, &  
immortalitate noſtra, quæ, vt inquit Iohannes, eſt videre  
Deum, eoque frui, dictum fuit: Et ſcribam ſuper eum nomē  
Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hieruſalem, &  
nomen meū nouum: Unde ego ſum Deus Abraham, Deus  
Iſaac, & Deus Iacob. Quamobrem huic altiſſimæ, & in-  
comprehenſibili trinitati potentia intellectiua, amoris annu-  
lo coniuncta, atque deſponſata, ciuitas Dei, in quadro poſi-  
ta fuit. Unde tripartito lumine Dei in Angelicam ſubſtā-  
tiam reflexo, gloria Dei, ceu tricolor Iris, refulxit in frontibus  
noſtris: Quamobrem ſtatim noua alia luce orta, in eadē  
tres illi ſplendores, vt in quarto fulgore relucent. Idcirco,  
& qui ſedebat ſimilis erat aspectu lapidis iſſidis, & ſardi-  
ni, & Iris in circuito ſedis ſimilis viſioni ſmaragdina, vt cap.  
IIII. viſum fuit. Quamobrem, & ego Iohannes vidi ſanctā  
ciuitatem deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſpon-  
ſam ornatā viro ſuo. Ecce ego habitaculum Dei, cum homi-  
nibus, cuius aurea ciuitas poſita in quadro eſt Dei Altare.  
Unde, & audiui vocem vnā ex quatuor cornibus Alta-  
ris aurei, vt habetur cap. IX. De hoc etiam quadrato, &  
aureo altare loquens cap. VIII. dixit illud eſſe ante thronum  
Dei. Idem cap. IIII. audiui de ſeptem lampadibus ar-  
dentibus, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terrā.  
Idcirco cap. XI. dictum ei fuit. Surge, & metire templum  
Dei, & Altare, & adorantes in eo, in quo ceu fulgentiſſi-  
ma lumina ſplendent; de cuius Altaris igne, ſub quo erant  
animæ interfectorum propter verbum Dei, aſſumpſit An-  
gelus cap. VIII. Et miſit in terram, & facta ſunt tonnerua,*

*& voces*

& voces, & fulgura. Templum ergo non vidi in ea; quia Dominus templum illorum erat; Quapropter vidit Iohānes cælum nouum, & terrā nouā: Unde, & in calculo candido datū est nomen nouum: scriptum enim fuit nomen Dei in frontibus nostris. At infernus, & mors secunda, qua triplici nocte, atque Diabolo, ob Draconem, & bestiam, & falsum prophetam inhorruit, facta est habitatio omnis spiritus immundi. Si quis ergo in sua libera potentia in scriptum nō habuerit nomen nouum; sed in ea acceperit imaginem bestiae, quam adorauit, aut characterem eius, & hic bibet de vino irae Dei; Quapropter de ipso Dracone, qui serpens antiquus, & mater fornicationū est, vt in fronte scriptū habebat, dictū iam fuit: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est habitatio Demoniorum, & custodia omnis spiritus immundi. In fide itaque operantibus aurum ignitum, calculus candidus, & nomen nouae Hierusalem pollicitum fuit cap. II. & III. Sicut praestatum etiam fuisse, nunc apparet in descensu sanctae ciuitatis à Deo: In hac enim libri aperti sunt, & iudicatum est secundum opera ipsorum: Idolatrijs vero, & fornicarijs, vt sunt illi, qui characterem bestiae acceperunt, gladius, & mors secunda ab eo, qui habet oculos flammicos, & gladium in ore vtraque parte acutum, praestensa fuit, vt excidium Hierusalem hucusq; optime testatur, & totius Asiae, et tandem etiā mundi ruina testabitur: Ut enim iudiciū hoc totum simul in filio cap. primo, & in patre cap. III. apparuit: ita etiam hucusq; sigillatim inspectum fuit. Vos itaque opus aureum, vt inquit Paulus, super aedificate super fundamenta Apostolorum, & prophetarum ipso summo.

summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo, & vos coaedificamini in habitaculo Dei in Spiritu sancto.

## CAP. XXII.

**E**T ostendit mihi fluuium aquae viuae, splendidum tanquam cristallum, procedentem de sede Dei, & Agni. In medio plateae eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia igni ad sanitatem gentium; Et omne maledictum non erit amplius; & sedes Dei, & Agni in illa erunt, & serui eius seruiens illi; Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum. Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis: Quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in secula seculorum. Et dixit mihi: Haec verba fidelissima sunt, & vera. Et Dominus Deus spiritum prophetarum misit Angelum suum ostendere seruis suis, quae oportet fieri cito. Et ecce venio velociter. Beatus qui custodit verba prophetiae huius libri. Et ego Iohannes, qui audiui, & vidi haec, & postquam audiuissem, & vidissem cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi haec ostendebat: Et dixit mihi; Vide ne feceris, con-  
V seruus

seruus enim tuus sum, & fratrum tuorū prophetarum, & eorum qui seruant verba prophetiæ libri huius, Deū adora. Et dixit mihi, Ne signaueris verba prophetiæ libri huius: Tempus. n. prope est. Qui nocet, noceat adhuc; Et qui in sordibus est, sordescat adhuc: Et qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc: Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere vni cuique secundum opera sua. Ego sum α, & ω, primus, & nouissimus; principium, & finis. Beati, qui lauant stolas suas in sanguine Agni: vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis seruietes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Ego Iesus misi Angelum meum testificarī vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix, & genus David, stella splendida, & matutina; Et spiritus, & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit dicat: Veni. Et qui sitit, veniat: Et qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc: Apponet Deus super illū plagas, scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius; auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimonium perhibet illorum, etiam venio cito. Amen. Veni Domine Iesu, gratia Domini nostri

nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, &c.

**S**ICVT post destructionem Hyerusalem visum fuit templum apertum in cælo, in quo visa etiam fuit Arca testamenti: ita etiam nunc in descensu sanctæ ciuitatis post consumationem mysterij Dei, vidit fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam chrystallum, procedentē de sede Dei, & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ offerens fructus duodecim. Hæc ergo noua Hyerusalem, cuius platea aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum intellecta est à Iohanne, reuelata etiam fuit in omni domo Dei fidelissimo. Moysi, ab origine mundi concepta in mente diuina. Ostensus Iohanni itaque fuit post descensum è cælo à Deo, noua Hyerusalem fluuius aquæ viuæ splendidus, procedens à sede Dei: Et quoniam claritas tabernaculi Dei cum hominibus splendor Dei est, de foris accedens: Idcirco de hoc lumine vitam, & immortalitatem agente in nostra intellectiua potentia, loquens nunc Iohannes, inquit: In medio plateæ, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, offerens fructus duodecim, qui immortalitatis sunt fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum. Unde, & duodecim portæ ciuitatis Dei, in quibus Angeli duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel, duodecim margaritæ dictæ sunt, per quas beati, intrando in Regnum Dei, reuertuntur ad pristinam integritatem hominis, ac si ab initio degustatum non es-

set de ligno scientiæ boni, & mali. Quapropter de huiusmodi ligno nulla mentio nunc fit à Iohanne: morte enim Agni auulsa fuit ista mala radix: Unde omne maledictum non erit amplius. Nā cum in cælo omnes sint, vt Angeli Dei, quibus apertus est Paradisus, & plantata est arbor vitæ: Idcirco in medio plateæ ostensum solum fuit Iohanni lignum vitæ, quod in medio plateæ, & ex vtraque parte fluy, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, tanquā in exiguo auri mundi puluere productum fuit: Unde ex hac terra bona fons aquæ salientis in vitam æternam emanauit. Quamobrem lignum vitæ erit illis in odore vnguenti, & parauit tibi arbores duodecim, grauatas varijs fructibus, & totidem fontes fluentes lac, & mel, & montes immensos septem, habentes rosam, & lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos, vt dictū fuit in Esdra lib. 1111. Idcirco curremus in odorem vnguentorum tuorum, dictum fuit in Cantica: Nam, & super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiua: quia aquæ eius de sanctuario egredietur: Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam, vt dixit Dominus Deus in Ezechiele cap. XLV II. Unde, & folia ligni ad sanitatem gentium, dixit nunc Iohannes. Beatus itaque homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione auri, & argenti primi, & purissimi: fructus eius pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari: longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius

diuitiæ,

diuitiæ, & gloria: via eius, via pulchra, & omnes semitæ illius pacificæ: Lignum vitæ est his, qui apprehēderint eam, & qui tenuerint eam beati, vt dictum fuit à Solomone in pro-  
 uerbys. Ecce itaque ego declinabo super eam, quasi fluium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam surgentes potabimini ad hubera, & super genua blandientur vobis, Isaias cap. LXV 1. Idcirco oleum effusum nomen tuum: Unde adoloscetula dilexerunt te: exuberant enim fontes mei, & gratia mea non deficiet, dictum fuit à Domino in Esdra lib. 1111. Quapropter fluius egres-  
 sus de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, diuisus fuit à Moysi in quatuor capita, versus quatuor partes mundi fluentia, iuxta quas ciuitate Dei in quadro posita, eius porte omnes aperta sunt. Ego enim quasi trames aquæ immensa de fluiuo; Ego quasi fluius dorix, & sicut aquæ ductus exiui de Paradiso cap. XXIII. Ecclesiastes Iesus. Quamobrem cum Deus sola immortalitas sit, atque suauissima pax: Idcirco intelligentiæ omnes vitæ illius viuentes, dicuntur etiā, & ipsæ habere potestatem in ligno vitæ: Pater meus agricola est; Ego sum vitis, vos estis palmites, dictum fuit in Euangelio. Vincenti itaq; dabo edere de ligno vitæ, vt etiam corona vitæ in Paradiso Dei coronetur, sicut cap. 11. patet. Quapropter fluius pacis à Deo emanans cuncta in-  
 dans, atque componens ad ipsum etiam Deum, & finem, tanquam ad principium suum, reuertitur. Unde Iohannes videns tunc circumductum amplexum sapientiæ in semetipsam, coniunxit finem cum principio eius, quando dixit; In principio erat verbum, & Deus erat verbum, & hoc erat

apud



apud Deum: Ideo hortus conclusus dicta fuit sapientia in Cantica. Ob coniunctionem itaque factam sponsi cum sponsa in descensu sanctæ civitatis à Deo, sinus sponsæ factus est spon-  
sus, & thalamus sponsi facta est sponsa: Unde, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius; Et tamen templum illorum, quod plenum erat gratia, & veritatis, est Deus. Quamobrem, & templum, & in medio templi, ubi est Pater, & filius, & ministri eius. Unde vincentem faciam columnam in templo Dei mei dictum fuit cap. III. Et tamen in medio templi, & in medio septem candelabrorum aureorum, quæ septem Ecclesiæ sunt, vidit Iohannes similem filio hominis cap. primo. Coniuncto ergo humano intellectu cum Deo, lignum vitæ in medio plateæ existens, ut in principio etiam erat, amplectitur etiam utranque partem fluminis: Idcirco leua eius sub capite, & dextera eius amplexabitur me, dictum fuit in Cantica. Sub umbra ergo illius, quem desideraueram, sedi: idem eodem dixit. Cum itaque possibilis intellectus illuminetur à Deo per Angelicum intellectum, cuius gratia de foris scintillans inter Deum, & hominem, omnia agens est: Idcirco sine substantia Angelica generi humano datum non est cum Deo commercium habere: Unde inquit Salomon: Serua mandata mea, & viues, & legem meam, quasi pupillam oculi tui; liga eam in digitis tuis; scribe illam in tabulis cordis tui, in quibus cum nihil à principio suæ creationis impressum sit, omnia in hac platea auro mundo, tanquam vitro perlucido, relucere possunt. Sed quoniam intellectiue animæ subteritur sensitivus appetitus: Idcirco, ut radicatus euellatur ista mala radix, exarandum

randum est cor: In corde enim circumciso, tanquam in terra sæcunda, semen commissum fructum facit. Qualis ergo ager, talia, & semina, & quales flores, tales, & tractura, & qualis operator, talis, & creatio; & qualis agricola, talis cultura, ut habetur cap. IX. lib. IIII. Esdra. Unde à fructibus eorum cognoscetis eos, dictum fuit in Evangelio. Quapropter homo cum Dei manibus plasmatus sit, desideratum fuit ab Esdra lib. IIII. Semen cordis, & sensui culturam, atque pluviam Dei; Unde fructus fiat: ut non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivit renascetur: Cum enim Pater agricola sit; ideo de eius in nobis agricultura dictum fuit in Esdra lib. IIII. Et nutriti eum tua iustitia, & erudisti eum in lege tua, & corripuisti eum tuo intellectu; & mortificabis eum, ut tuam creaturam; & vivificabis eum, ut opus tuum: cum enim actus, & potentia animæ nostræ intellectiue pendeat ab actu divini intellectus homini assistenti; Idcirco in creatione Adam in spiritum vivificantem, emanato à Deo agente intellectu in masculo, & femina, specie non differentibus, immisit deinde Dominus soporem in Adam, & edificavit in mulierem: unam de costis à viro ablatam: Unde ab hac divina substantia in nobis refulxit potentia angelicum radium recipiendi, cuius abstracti intellectus amori desponsata ipsa fuit: Unde cum ex illis ambobus fiat maxima unio, fuerunt duo in carne una, uterque ergo nudus erat, & ab affectionibus corporis immunes, non erubescabant; In cælo enim omnes sunt, ut Angeli Dei. Cum itaque intellectus divinus non à potentia nostra intellectiua, sed ab intellectu divino solum pendeat, potentia

potentia intelligendi; Ideo inquit Esdras lib. III. Nos quidem, qui legem accipimus peccantes periuimus, & cor nostrum, qui suscepit eam: Nam lex non perijt, sed permansit in suo robore. Quamobrem cum ex claritate, Angelicamque pluuia Dei de foris splendente, & ex electa sponsa anima nostra conflata sit beatitudo humana; Idcirco ex gratia Dei, & ex gemmis ab illa illustratis Regnum Dei, & Angelicum hominem, conflatum est caelo à Deo descendere vidit Iohannes cap. superiori. Quae ergo est ista, quae delictis affluens, in nixa super dilectum suum? dictum fuit de sapientia in Cantica. Unde veniat dilectus meus in hortum suum, & commedat fructum pomorum suorum, dictum fuit eodem ab eodem: Ex quo orto, & Paradiso Dei eiectus fuit Adam, postquam in eo à principio collocatus à Deo, sua abusus fuit libera potentia, dum Altissimi legem spernendo, degustauit de ligno ei prohibito. Nam licet in instanti omnia creauerit Deus: Verbum enim suum, quod in principio erat, praecessit, & opus (vt dixit Esdras) statim fiebat: tamen, vt immensa Dei elucesceret sapientia, ex nihilo ordinatim creatione exordita, homo terrena, & vltima intelligentiarum, non actu intellectus, vt Angeli sunt; sed paulo diminucendo ab eis, potentia intellectus Angelicus à Deo emanauit: à principio enim concessa fuit homini immortalitas, prohibita vero fuit ei à Deo mortalium rerum apprehensio, quae non boni tantum, sed boni, & mali, & contrariorum semper eadem est. Unde dictum ei fuit: De omni ligno Paradisi commede, de ligno vero scientiae boni, & mali ne commedas. Quapropter in medio Paradisi collocatum fuit lignum vitae, & lignum

gnum scientiae boni, & mali: homo vero relictus in manu consilij sui deflexit potius, Diabolo parens, liberam voluntatem suam vescendi de omni ligno ad sensum, quam ad intellectum immortalem, à principio sua creationis ei ostensum. Idcirco hoc solum inueni, quod Dominus fecit hominem rectum, & ipse infinitis se immiscuit quaestionibus; cap. VI. lib. prouer. Quamobrem tactu, quod est principium omnium sensuum, ligni scientiae boni, & mali, atque copulatione tunc facta intellectus cum sensu, corporea umbra, ceu nebula quadam oppressa fuit potentia nostra videndi Deum: Unde lux in tenebris luxit, & tenebrae eam non comprehenderunt: Cupio itaque dissolui, inquit Paulus, & esse cum Christo. Non amplius ergo lumine diuini intellectus generi humano ab intellectu opifice à principio impartito, Deum intuenso illius speculatione, atque ambrosia homo viuere poterat: sed Angelica potentia sua quasi excacata, discursuum, & practicum intellectum tunc adeptus ad haec mortalia oculos aperuit: Unde Adam scientiam boni, & mali consequutus fuit. Quapropter mortem gustauit, homo à natiuitate sua, ne quasi alter fieret Deus, in quo immortalitas est, & cognitio horum inferiorum absque sensu, & contrarietate. Unde dictum fuit; Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum. Hunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitae, & commedat, & viuat in aeternum, emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis: prius enim factus est Adam in animam viuentem, nouissimus vero Adam, quem Dominus secundum se vestiuit virtute, in spiritum viuificantem. Pessimam itaque, inquit Sa

lomon in Eccles. occupationem dedit Deus filijs hominum, postquam Adam, prius factus in animam viuentem, assumpsit de ligno scientiæ boni, & mali: Idcirco quasi vnus ex nobis factus est, dixit Dominus de Adam; de quo ante eius creationem, dixit: Faciamus hominem ad imaginem nostrā, & similitudinem. Unde ab origine mundi Agnus occisus fuit, vt Deus iudicaret mundum in virga ferrea. Quare vero gramen seminis huius mali seminatum fuerit in corde Adam ab initio; Pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem, qui præterijt, ne maiora istorum queram, & tunc, dictum fuit Esdra, docebo te, vnde sit cor malignum: Iudicia enim, & semitas Altissimi incomprehensibiles quis intelliget? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Libera ergo voluntas homini data, absque gratia Dei præaccepta, ad assumptionem ligni vitæ conuerti non potest: sine enim claritate Dei prius circumfulxa potentia Angelica animæ intellectiua minimè cum actu suo Angelico vniri, & Dei Angelus fieri valet: Unde de auro, ex quo platea, & ciuitas Dei est, dictum fuit. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias: qui ergo vult, accipiat aquā vitæ gratis. Vanum itaque est vobis ante lucem surgere. Huiusmodi verò gratia gratis à principio habetur: Nam spiritus vbi vult spirat: Idcirco nemo ascendit in cælum, nisi qui è cælo descenderit: Unde nouam Hierusalem de cælo à Deo descendentem vidit Iohānes, cuius excelsæ ciuitatis duodecim gemmata fundamenta, ceu corona duodecim stellarum in capite mulieris amictæ Sole, dederunt lumen suum. Sed quia su-

bleuare caput suū à laua manu Domini, & à dextera eius amplecti desideratur, propter operationes, mutuūq; amorem nostrum, quo Dei amor amandus est: Idcirco osculetur me osculo oris sui, deprecatum fuit à Salomone. Cum itaque hoc non præstitisset Adam, qui in Paradisum voluptatis à principio positus non custodiuit illū, priuatus fuit, post assumptionem ligni prohibiti, actu, non autem potentia edendi de ligno vitæ ob mortem Christi hinc futuram; virtute cuius, & spe etiam post peccatum commissum de potētia intellectiua hominis, quæ instrumentum omnium instrumentorum existit, cum in eius palma, loco omnium formarum, omnia comprehendendi valeāt, dictum fuit: Nūc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in aternū, emisit Adā Dominus Deus de Paradiso voluptatis. Relicta itaque fuit in semine Adā spes, & amor vscendi iterū de ligno vitæ: sicut morte ipsius Agni Dei feliciter ab humano genere cōsequutū fuit: Unde sub arbore mala suscitauit e: ibi corrupta est mater tua: ibi uiolata est genitrix tua Sal: in Cant. Idcirco lignū vitæ desiderū veniens dictū fuit à Salomone prouerb. lib. Iustus enim sola fide viuut, vt inquit Paulus; Vita vero est videre Deū, vt dixit Iohannes; Idcirco facies eius erat in medio ligni vitæ. Unde ne sumat de ligno vitæ, & fiat immortalis dictū fuit in Noy si de Adā: Iustus ergo solū fide viuut fruendi, atque videndi Deū, in quo est solū vita, atque immortalitas. Nō ergo signū inuidentiæ fuit relegare Adā in terrā post assumptionē ligni prohibiti: Cū enim hoc pacto potētia suā videndi Deū sensui immiscuisset, atque ad hæc inferiora, corporea, et corruptibi-

lia seipsū abiēcisset, quorū imagines etiā per scientiā acquisitæ corruptibiles sunt: Idcirco ex loco immortalitatis eiectus fuit. Dei ergo incorporei, & immortalis substantiā potentia intellectuā apprehendendo, ob mortē Christi, assumere valet manus nostra de ligno vitæ, qua luce orta in cordibus nostris, electi hoc verbo, & nomine Dei signati dicuntur in frōtibus ipsorū. Cū verò in Deo incōprehensibilis gratia sit, maior est in eo potētia expetēdi, quā à sponsa expetatur: Idcirco immensa illa Dei potentia amandi, quantum amari, & intelligi potest, solū in immensa Dei potentia acquirit actū: Unde, Deus omnipotens dictus est: Deus enim solum à semet ipso intelligitur quantum intelligi, & amari potest: Nam ab eius conspectu fugit terra, & cælum, & locus ( ut inquit Iohannes ) non est inuentus eis: Intelligentijs vero, & spiritibus cælestibus omnibus, pro diuersitate gemmarum ipsius sponsæ, impartitus, & communicatus fuit splendor ipsarum à Deo. Quamobrem etsi intelligentiæ cæli Deum, in quo species elucescunt omnes, intelligant, non est tamen necesse, ut etiam hæc inferiora eo modo, quò à Deo intelliguntur, eodē etiam ab Angelo comprehendantur: Unde de vita tua nō sum missus dicere tibi, sed nescio, dixit Angelus Esdræ: Cū enim solum ab intellectu, & verbo Dei cæli, & virtus eorum, naturāq; omnis moueatur, ac firmata sit, mūdus à Dei sapientia pendet: Solus enim Deus dixit, & facta sunt: non autem à rebus ipsis intellectio eius oritur; sicut humano euenit intellectui, cuius scientia à rebus, non autem res ab eius affirmatione, vel negatione fluunt; Quis enim vestrum cogitando potest adycere ad staturam suam cubitum unum?

Forma-

Formauit enim prius Deus de humo cuncta animantia terræ, & volatilia cæli, & deinde adduxit ea ad Adam; ut videret quid vocaret ea; Unde omne, quod vocauit Adam nomine viuentis, ipsum est nomen eius. At Deus postquam vidit, atque intellexit lucem esse bonam, diuisa statim fuit lux à tenebris, & factus est dies vnus: Verbum enim Dei opus perfectum est: Nam verbum præcessit, & opus statim fiebat. Solus itaque Deus, ante cuius conspectum nihil est in obliuione, absque sensu, & corruptione corruptibilia ipsa, & singularia intelligendo, illis providere potest. Idcirco postquam homo, duce sensu, nactus fuit scientiam boni, & mali, non simpliciter Adam ex nobis, sed quasi vnus ex nobis factus est, dixit Dominus. Hinc colligitur amorem, & claritatem Dei, quod templum sanctæ ciuitatis refulxit, in Deo circularem esse; Intelligentiæ vero forma, & noua Hierusalem in quadro posita est. Sicut ergo quadrato nō potest circulus reddi æqualis; Ita etiam obiectū diuini amoris minimè, quantum à se valet, à nobis amari potest. Quamobrem dictum fuit cap. XV. templū impletum esse à maiestate Dei, & de virtute eius; Unde nemo tunc poterat intrare in eum. Idcirco hoc supremo amore à semetipso tantū amatur, quantum intelligi, & amari potest. Deus itaque tum ratione summi amoris eius, quo seipsum amplectendo, atque amando dicitur esse α, & ω, tum vniuersi huius mysterij prædicti in cōsumatione mundi, ob mortem Agni, tum etiam beatitudinis nostræ: cum post mundi exustionem ad finem, tanquam ad principium ipsum reuertere debeamus, dixit; Ego sum α, & ω, sicut ex hoc vniuerso mysterio, emicuit. Quomiam igitur to

19

tum

sum excidium futurū Asia, & mundi à destructione Hyerusalem propter peccatū, quod contra eam semper est, euenire debet: Ideo redijt iterum nunc in fine Iohannes ad destructionem Hyerusalem, in qua ignis totius iudicij Dei ante alias destructiones futuras primo, & cito accēdendus erat. Vidit ergo Iohannes, post vniuersi mysterij Dei consumationem, cælum nouum, & terram nouam. Cælum enim, & terra prima senio iam confecta per tempus, & tempora, & dimidium temporis, abierunt: Iudicij verò, & excelsa ciuitatis Dei verba, quæ omnium prophetia, quæ fuerunt, sunt, & futura sunt, & in vniuersum, & in singularibus diuinitus illa intuenti elucescere possunt, immobilia permanent, quæ diuina archana Moysi in semine Abraham: Et Salomoni in meretrice, & in amasia candida: Iohanni verò in filio à Patre per Angelum reuelata fuerunt, cui canere datū fuit canticum illud, quod solum ij, qui empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo, & Agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium, canere potuerunt: sine macula enim cum sint ante thronum Dei, sequuntur Agnum quocūque ierit: Cum verò ipse sit, qui fuit, qui est, & qui venturus est: gratia, & lumine eius illustratus Iohannes potuit etiam prænunciare, & ante mundi creationem, vnitatem distinctā Dei; In principio erat verbum, & Deus erat verbū, & hoc erat in principio apud Deum; Et præsentia, & futura etiam post mūdi consumationē: Tūc enim in facie Agni, quæ sicut Sol luces in virtute sua, intelligendo, vt dixit Dominus in Isaia: Quia ego ipse sum, & ante me non est formatus Deus, & post me nō erit, fulgebit Deus, vt cecinit Iohānes: α, & ω. Quapropter

pter ne signaueris verba prophetiæ huius libri; Tēpus enim propè est. Qui nocet, noceat adhuc: Et qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc; Et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere vnicuique secundum opéra sua. Ego sum α, & ω, primus, & nouissimus, principiu, & finis. Beati, qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas eorū in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris autē canes, & venefici, & impudici, & homicida, & Idolis seruietes, & omnis qui amat, & facit mendacium. Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs. Ego sū radix, & genus David, stella s̄ ledida, & matutina: Est spiritus, & sponsa dicunt Veni, & qui audit, dicat, Veni; & qui sitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Contestor enim omni audiet verba prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illū plagas scriptas in libro isto: Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de ligno vitæ, & de ciuitate sancta, & de ijs, quæ scripta sunt in libro isto; Dicit qui testimoniu perhibet istorū. Etiā venio cito. Amen, Veni Dñe Iesu, gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Quid igitur radix, & genus David, stella s̄ splendida, & matutina significauerit per Angelū suū Regibus terræ, qui accipiendo in dextera sua characterem, aut nomen bestie, aut numerum nominis eius, coluerunt Balaam Deū alienum, considera tu, qui ad multas aquas residens, imperas illis, qui in plagis Hyerusalem occisi non fuerunt: In Te enim sanguis Christi inuentus est.

# IMPERIVM, ET GLORIA

Altissimo, & Verbo eius, quod est  
Principium, & Finis.

Ego frater Modestus à Cremona, Prior Sancti Iacobi inter foueas, & ordinis diui Augustini Eremitarum de obseruantia Lombardia, humilis sacrae Theologiae professor testor, me tota Domini Petri Caponsacchii Aretini, tum Philosophiae, tum sacrae Theologiae professoris in Iohannis Apocalypsim Obseruationem legisse, atque eam pro ingenii mei imbecillitate vidisse, nihilque contra Sacrae Romanae Ecclesiae Catholicam, fidem inuenisse: in quorum fidem manu mea subscribere volui sub die 26. Iulii 1572.

Idem qui supra F. Modestus de Cremona.

Die xxvi. Iulij M. DLXXII.

Fide prehabita, hoc opus tanquam catholicum approbamus, ac licentiam illud imprimendi concedimus: Die, vt supra. F. Franciscus de Pisis Inquisitor Generalis Domini Florentini.

## REGISTRVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXY.

Omnes sunt quaterniones praeter Y. qui  
est duernio.

*As unisunt (sic) unis*

## Errata sic corrigito.

Pag. 8. vers. vlt. sunt lege sunt  
pag. 9. vers. 19. fuerunt fuerunt  
pag. 22. vers. 24. suut sunt  
pag. 23. vers. 5. sedas sedens  
pag. 24. vers. vlt. Ex mundo Ex mundo pax  
pag. 36. vers. 17. Quatuor angulos Quatuor ventos  
pag. 37. vers. 2. Iisrael Israel  
pag. 38. vers. 18. Sanson Samson  
pag. 41. vers. 11. vnus vnus  
pag. 41. vers. 21. quæ aperit qui aperit  
pag. 43. vers. 23. vt &  
pag. 45. vers. 22. & vt  
pag. 46. vers. 23. iutellectum intellectum  
pag. 48. vers. 20. in terra deorum in terra deorsum  
pag. 63. vers. 1. libro primo libro primo Regum  
pag. 66. vers. 2. comprobuabit comprobauit  
pag. 70. vers. 17. audiuit adiuuit  
pag. 76. vers. 6. quæ sicut quasiuit  
pag. 81. vers. 26. esteram resteam  
pag. 95. vers. 7. super numeros super muros  
pag. 95. vers. 19. quam quam  
pag. 97. vers. 24. exultantes Angeli: exultantes  
( Angelos  
pag. 116. vers. 23. diadedamata diademata  
pag. 116. vers. 15. vt vocat & vocat

Y



pag. 130. vers. ult. hinc  
pag. 135. vers. 18. impetu  
pag. 135. vers. 23. cum ista  
pag. 150. vers. 2. rursus  
pag. 157. vers. 26. tunc

tunc  
impetum  
commista.  
sursum  
hunc



FLORENTIAE.

*Apud GEORGIVM Marescotum.*

Y III. Kal. Sept. 1572.

